PHILOSOPHIAE MORALIS
INSTITUTIONES

RAPHAELIS PACETTI

PRESBYTERI ROMANI

TOMUS PRIMUS

TRACTATUS PRIMUS GENERALIS

de moralitate actionum humanarum

EDITIO ALTERA EMENDATIOR ET AUCTIOR
ADDITA QUOQUE
AD SCHOLASTICARUM EXERCITATIONUM USUM ACCOMMODATA
TOTIUS OPERIS SYNOPSI.





ROMAE.
EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM
1846

ELEMENTA

PHILOSOPHIAE MORALIS



PROLEGOMENA



§. 1. *Origo et progressus scientiae moralis.*

Legis naturalis notitia mundo coaeva dici merito debet. Verum sicut in ceteris humanis rebus format natura prius nos intus ad omnium artium scientiarumque habitum, eademque juvat et impellit ad illa omnia sponte et quasi instinctive sectanda ac peragenda ; postea vero philosophi haec in hominibus naturae facta contemplantes, artium praecepta, scientiarumque theorias digerunt et adornant ; ita etiam in philosophia morali contigisse reperimus. Quamquam enim scientia moralis hoc prae reliquis disciplinis proprium ac speciale habuerit, quod vel a mundi primordiis a D. Revelatione fuerit illustrata; tamen si moralitatis notitiam in iis gentibus quae hac benigna coeli luce caruerunt (1) consideremus, eumdem profecto ac in caeteris scientiis progressum, eamdemque methodum reperiemus. Ab antiquissimis enim temporibus cujuscumque gentis historiam inspiciamus, videmus homines, familias, populos licet rudiores ac barbaros, certis tamen morum regulis viventes, quas naturali sensu, facili experientia, vel auctoritate, et traditione majorum acceperant. Progressu vero temporis quosdam praestantis ingenii vi praeditos surrexisse novimus publicos moralitatis magistros. Ut enim prae-

(1) De quibus s. Paulus ait (Rom. 2. 14.) « Gentes quae legem » (per Moysen latam) non habent, naturaliter ea quae legis sunt fa- » ciunt : hujusmodi legem (scriptam) non habentes ipsi sibi sunt lex, » qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium » reddente illis conscientia ipsorum ».

tercam oracula Chaldaeorum, arcanam et symbolicam sacerdotum Aegyptiorum doctrinam, Zoroastri libros Persis erudiendis, ut fertur, editos, Indorum Gymnosophistarum sapientiam, Confucium magnum Chinensium doctorem; in Graecia tantum progressum disciplinarum moralium cursim considerans, primos hujus disciplinae institutores poetas invenio; Orpheum, Amphionem, Musaeum, Melampum, Hesiodum, Homerum, Aesopum, qui per carmina, et fictas fabellas rudioribus populis aptas recte vivendi regulas insinuabant. Procedentibus vero aetatibus prima philosophiae epocha in Graecia floruit summis viris illustris, quorum studia eo potissimum spectabant, ut justitiam, honestatem, pietatem, privatam publicamque disciplinam constabilirent. Sapientes isti celebratissimi, si Taletem excipias, omnes legislatores fuere: hi tamen sua effata, et moralia praecepta per aphorismos et per leges, nullo naturali nexu, sed pro opportunitate proferebant. Nondum moralia dictamina ad certa capita et principia revocata erant, et ad eam praeceptorum seriem digesta, quae ab hominis natura et relationibus exoriens omnia ejusdem officia comprehenderet, et a certis principiis deduceret. Interim vero reliqui philosophi potius in metaphysicis abstrusioribus disceptationibus et in astronomicis et mathematicis studiis animum dabant. Itaque, ait Tullius (Disp. Tusc. l. 5. c. 4.) « ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui » Archelaum Anaxagorae discipulum audierat, numeri mo» tusque tractabantur, et unde omnia orirentur quove re»ciderent: studioseque ab iis siderum magnitudines, inter» valla, cursus exquirebantur, et cuncta coelestia. Socrates » autem primus philosophiam evocavit e coelo, et in urbi» bus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coegit de » vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere ». Socrates enim contra illius aetatis sophistas physicos primum haec sapientissime criteria logica posuit; philosophiam non in rebus *occultis et ab ipsa natura involutis* versari oportere; *quae autem supra nos nihil ad nos pertinere;* ea enim vel *pro-*

cul sunt a nostra cognitione, vel si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum conferrent. Tum vero Socrates, ut philosophiam moralem extrueret, in necessariis fundamentis hujusce disciplinae jaciendis animum intendit, scilicet inspexit hominis naturam rationalem et immortalem sub sapientissimi Numinis providentia constitutam. Unde facili ratione deduxerit existentiam legis moralis in ipsa humana natura insculptae, cui inevitabilis sanctio necessario addita sit in futura vita divinitus complenda: hinc *virtutem esse sapientiam*, *seu cognitionem veri*, *hominum regimini et emendationi applicatam*, eamque esse fontem bonorum operum ac fundamentum verae utilitatis, veraeque beatitatis; nihil autem vere utile homini censendum esse quod non honestum sit. E quibus omnibus facile infertur, virtutem juxta socratica principia, nihil aliud esse, quam scientiam, quae supremae et universali Dei rationi consilia omnia, omnesque humanos actus conformes efficit. Quo posito moralitatis criterio, seriem praeceptorum, quae privatam publicamque morum disciplinam spectant, adumbravit. Quare philosophiae rationalis et moralis parens merito ab omnibus est habitus. Hinc Plato ejus discipulus philosophiam omnem trifariam divisit, scilicet in *rationalem*, *naturalem*, *et moralem*; eamque morum disciplinam suis quisque principiis reliqui ethnicorum philosophi tradiderunt. Atque etiam post evangelicam lucem, quae pristinam revelationem complevit, et per universum orbem diffudit, scientia moralis ab orthodoxis philosophis exculta et emendata est, cum plurimum rei christianae intersit videre, quomodo ex ipso rationis lumine hominis officia suggerantur. « Unde liquido pateat unum eumdemque Deum » fuisse, qui creaturis leges illas naturae, hominibus vero le» gem christianam dedisset » (Baco l. 7. de aug. c. 1.).

§. 2. *Variis disciplinarum moralium distinctis speciebus determinatur scopus harum institutionum.*

Itaque cum disciplina moralis, ut ex ipsa nominis significatione patet, sit scientia morum, scientia, inquam, quae liberas hominum actiones dirigit, ut convenienter naturae suae, suoque ultimo fini vivant; hinc primo duplex exurgit scientiae moralis genus, scientia moralis *positiva*, et *philosophica*: quae quidem non differunt inter se, ut nonnulli falso putant, ex *fine* quem intendunt, cum utriusque disciplinae unum objectum et mens una sit, ut scilicet homines ad virtutes omnes informet, quibus suam felicitatem assequantur. Tantummodo ex *principiis*, quibus innituntur, inter se discrepant, cum *moralis positiva* pro fundamento ponat *auctoritatem* vel divinam vel humanam; moralis philosophica in principiis rationis insistat: hinc theologiae moralis criterium sunt monumenta D. Revelationis, quae in sacris literis et in divina traditione continentur, vel definitiones et praecepta ab infallibili Ecclesiae tribunali prolata: itemque positiva morum scientia illa censenda, quae vel in omnium hominum consensu, vel in sapientum auctoritate praecipue fulciatur, quemadmodum illa fuerat, quae ante Socratem tradebatur, mythologica, aphoristica, symbolica, legislativa etc. et posteriori quoque aetate a *traditionalistis* exposita est. Criterium autem philosophiae moralis est ratio, quae ex ipsa hominis natura demonstrat quid faciendum, fugiendumve sit.

Ceterum quoad philosophiam moralem, cujus elementa nobis tradenda sunt, animadvertendum est, eam, si in amplissima sua significatione accipiamus, in duo genera distingui oportere: alterum naturae legem ejusque fundamenta ponit, alterum praecepta tradit quae facilius homines ad justa et honesta, atque utilia factitanda deducant: illius munus est, ut cum Bacone loquar, *proponere nobis exemplaria bella et luculenta, atque descriptiones, sive imagines accuratas boni, virtutis, officiorum, felicitatis tamquam vera objecta et scopos*

voluntatis, et appetitus humani; alterius munus est praecipere quomodo quis possit optime ad hos scopos (excellentes sane) collimare, hoc est quibus institutis animus ad illa assequenda subigi et componi possit. Itaque concludit Baco « Partiemur » igitur Ethicam in doctrinas principales duas; alteram de » *exemplari sive imagine boni*, alteram *de regimine, et cultura* » *animi*, quam etiam partem *georgica animi* appellare con- » suevimus: illa naturam boni describit: *haec regulas de* » *animo ad illa conformando* praescribit. » (De augm. scient. l. 7. c. 1.).

Utraque autem haec disciplina, sive illa *exemplaris, sive haec cultrix et moderatrix* animorum non respicit tantum homines singulos, verum etiam civiles hominum aggregationes, seu respublicas, quae tamquam personae morales censentur in naturae statu viventes.

Itaque si philosophia moralis *pura* et *exemplaris* consideret tantum conceptum moralitatis, et officia singulorum hominum, tunc dicitur *ethica exemplaris*, vel etiam *jus naturale privatum* (1): sin vero ulterius pergat et naturam ac regimen civilium societatum consideret, jus publicum scientia isthaec appellatur; sensu autem magis peculiari et proprio juris publici nomine intelligitur theoria de societate civili in se ipsa considerata: cum vero expenduntur jura nationum ad invicem, *jus gentium* dici solet. Quae omnes disciplinae non tamquam diversae et separatae censeri debent; sed unam

(1) Optimam de ethica baconianam divisionem sequor, scilicet in ethicam exemplarem, quae cum *jure naturali* cohaeret, et in ethicam applicatam seu georgica animi. Quam distinctionem si prae oculis habuisset Jo. Gott. Heinecius ceteroquin doctus et acutus nunquam affirmasset (*in elementis Philosophiae moralis* c. 1. §. 6.) « nemo amplius » disciplinam hanc (ethicam scilicet, cujus nomine exclusive intelligit » ethicam practicam seu georgica animi) nemo amplius disciplinam hanc » cum *Jure naturae*, quod bonum, quatenus *justum, honestum, decorum* » *est*, considerat, confundet » hinc de summis ethicae magistris non dubitat dicere « eam tamen confusionem veteres, veluti *Aristoteles* in » ethica et *Cicero* in libris de officiis, vix evitarunt ». Similiter et alii tractatores censent. Equidem Aristotelis, Ciceronis, Baconis potius vestigiis inhaerere studeo.

tantum lineam et familiam constituunt, quae homines sub diversis relationibus positos considerat, eorumque naturalia jura et obligationes pertractat.

Simili ratione disserendum est de philosophia morali *applicata;* quae suppositis theoriis de bono, de virtute, de officiis, de felicitate, ex rerum humanarum experientia et consueta hominum propensione edocet, quibus institutis homines aut ad honestatis et justitiae praecepta servanda, aut ad veram utilitatem procurandam, facilius inflectantur. Si enim haec praecepta et instituta homines singulos regere intendant, habebitur ethica practica, seu applicata, cujus praecipua pars ea est, quae tradit regulas de animo ad virtutes informando, quamque georgica animi cum Bacone diximus; duae quoque aliae partes huic subiectae sunt, quae *hygienem*, et privatam *oeconomiam* exhibent. Sin autem philosophi in rerum publicarum historia penitus edocti suum ingenium extollant et tradant theorias practicas ad respublicas firmandas et ad stabiliendas vires, sanandos populos, publicum cujusque generis bonum promovendum; tunc *scientia politica* extat, quae sive *legislationem*, sive *judiciorum formam*, sive *oeconomiam publicam et commercium*, sive *militiam*, sive alia publica negotia regit et ordinat.

En amplissima philosophiae moralis messis, et variae disciplinae, quae omnes arctissimo nexu inter se colligantur. Splendida quidem sunt pulchra et utilia ceterarum scientiarum vel abstractarum vel naturalium studia; verum haec morum philosophia proprium hominis studium censendum omnino est, quod

Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.

De quo merito Tullius ajebat « nullo in genere disputandi » magis honeste patefieri, quid sit homini tributum natura; » quantam vim rerum optimarum mens humana contineat; » cujus muneris colendi, efficiendique causa nati, et in lu» cem editi simus; quae sit conjunctio hominum, quae natu-

» ralis societas inter ipsos ». (De leg. l. 1. §. 5.). Itaque filium suum Athenis philosophiae causa commorantem, ut huic morum disciplinae studiose animum dederet, adhortans inquit (de Off. l. 1 c. 2) « Nam cum multa sint in philosophia et » gravia et utilia accurate, copioseque a philosophis dispu» tata, latissime patere videntur ea, quae de officiis tradita » ab illis et praecepta sunt. Nulla enim vitae pars neque pu» blicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis » in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero » contrahas, vacare officio potest; in eoque colendo sita est vi» tae honestas omnis, et in negligendo turpitudo. Atque haec » quidem quaestio communis est omnium philosophorum. Quis » est enim qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum » se audeat dicere? «. Sed quid philosophum, quid jurisperitum, quid magistratum, quid legislatorem dicam? Nullum, inquam, ne in *aesthetica* quidem, seu in bonis artibus vere illustrem et magnum extare posse, nisi hujus disciplinae summam plene sit complexus et in succum et sanguinem digesserit. Non poeta, non comoediarum, aut tragoediarum scriptor, non historicus, non orator quidquam magnum et memoria dignum scripserit, *nisi naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mentes aut incitentur, aut reflectantur penitus perspexerit.* Etenim nisi vera virtutum indoles, vera vitia, nisi cuique propria et conveniens, et sibi constans persona aptetur, nisi characteres animorum, affectuum, et naturarum veritati simillimi depingantur, in poematibus, comoediis, tragoediis legendis et audiendis vel dormitabo, vel ridebo.

Merito igitur Horatius (Epistolar. l. 1 ep. 2.) ad Lollium scribens pleniorem, profundioremque philosophiae moralis cognitionem et copiam in Homerica Iliade et Odyssea (quorum poematum vim et excellentiam in ea epistola mirifice conclusit), quam in Crysippi, aut Crantoris libris reperire censebat, quamvis hic praestantissimus Platonis auditor, ille stoicorum coryphaeus et columen haberi debeat.

Nihil de divina Alighieri nostri comoedia dicam, quem ceterorum omnium cujusque aetatis scriptorum hac in re facile principem, nemo, si sapiat, non plane affirmaverit.

Ceterum instituti nostri ratio exigit, ut in hisce elementariis philosophiae moralis lectionibus, nihil omnino de politicis disciplinis tradatur; itemque perpauca tantum atque obiter de variis ethicae practicae partibus attingam, ubi de cultura animi, et de propriae vitae ac status externi cura disseram. Praecipuus nostrarum institutionum scopus est ethicae philosophicae *purae* seu *exemplaris* tractatio, cujus haec est definitio, *scientia, quae ratione duce, moralitatis conceptum et criteria statuit, ac singula officiorum hominis naturalium genera tradit.* Primum itaque generatim de moralitate actionum humanarum, tum speciatim de naturalibus hominis officiis agendum nobis est.



TRACTATUS PRIMUS GENERALIS

DE MORALITATE ACTIONUM HUMANARUM.



Ut moralitatis idea, de qua in universa hac tractatione disserere debemus, distincte determinetur, animadvertendum est, duplicis generis actus in homine discerni, physicos et morales. Motus omnes, functiones mechanicas, actus instinctivos, et mere spontaneos, qui usum rationis et consultationis praevertunt, quique ceteris quoque animalibus ratione carentibus sunt communes, physicos appellamus. Hi si conducant ad vitae conservationem jucunditatemque, physice boni, si ei adversentur, physice mali dicuntur.

Alium vero bonorum et malorum ordinem constituunt ceteri actus humani, qui a principio rationis et liberae electionis proficiscuntur. Itaque sinceritas, fides, liberalitas, actus justitiae, et honestatis, cetera hujusmodi, hominis officia censentur et *moraliter bona*; quae autem sunt his contraria, in vitio esse, et *moraliter mala*. Qui ea colit, officio suo fungi dicitur, eique merito tribuuntur, et laude ac praemio dignus habetur; qui secus fecerit, reus censetur, et vituperio ac punitioni addicitur.

Notio haec quam omnes habent de bonitate et malitia, seu de moralitate actuum humanorum, est idea complexa, quae duo praecipua elementa continet et necessario supponit, scilicet hominem indifferentiae libertate praeditum esse, eumdemque habere *normam, seu legem moralem*, quae illi praescribit, quid faciendum fugiendumve sit; sin utrumque vel alterutrum desit, nullimode consistere potest idea quam omnes habemus de moralitate actuum nostrorum. Sublata enim regula seu lege, quae honesta et justa ab inho-

nestis et iniquis discreverit, omnia indifferentia evadunt (1). Sin autem libertas non sit in homine, stultum et iniquum foret iis imperare, qui necessitate determinantur ad unum; itemque veritati et aequitati repugnans esset, hominibus imputare actiones tamquam ab iis bene vel male peractas, quarum ipsi non sint causa efficiens, sed eorum mechanismus, et naturae vis ac necessitas. Quare fatalismi error (ut perspecte ait D. Thomas) « subvertit omnia principia philosophiae « moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex « necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, ex» hortatio, praeceptum, et punitio, et laus, et vituperium, cir» ca quae moralis philosophia consistit ». Quaest. 6. De Malo art. unic.

Scio equidem non modo Collinsium et auctorem impii operis *Systema naturae*, aliosque impudentissimos fatalistas, verum etiam Leibnitium (Tom. I Theodicea) censuisse, in systemate fatalismi statui posse leges, praemia, et poenas tamquam causas quae necessario determinent voluntatem ad actus utiles, et ad coercendos inutiles, atque hominum incolumitati adversos; ita equum parentem fraenis currere docent homines, et boves sua colla jugo supponere; itemque pueri nondum rationis perfecte compotes munusculis, ac laudibus, vel increpationibus, ac verberibus patris mandata facere assuescunt.

Haec et similia quae quamdam veritatem praeseferunt, nullius momenti in re nostra sunt, et a praesenti disquisitione prorsus aliena, ac omittenda. Ut enim recte monet Petrus Tamburinius (Lezioni di Filosofia Morale. Vol. 2. l. 5 c. 6) et Paschalis Galluppius (Elementi di Filosofia t. 5 c. 4 §. 41.) distinguendae sunt duae quaestiones omnino diversae: altera generalis et abstracta, utrum nempe in systemate fatalismi lo-

(1) Hinc D. Paulus ajebat « non cognovi peccatum nisi per legem: » concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret; non concupisces ». Rom. 7 v. 7 « Peccatum non imputabatur, quia lex non erat ». Rom. 5 v. 13.

cum habere possint leges et sanctiones tamquam media, quae necessario homines impellant, velut animalia bruta, vel machinas ad certas actiones, quae bonae dicuntur, et ab aliis, quae malae appellantur, coerceant. Haec inquisitio ad rem nostram, non attinet. Altera autem particularis et concreta, haec est. In conceptu, quem omnes passim habent, de legibus et morali obligatione, de virtutibus, et vitiis, de imputatione actionum humanarum, de praemiis virtuti debitis, deque punitionibus sontibus infligendis, includitur nec ne idea libertatis? Jam vero certum est, homines essentialem differentiam ponere in judicio, quod instituunt de bonitate aut pravitate arboris, aut machinae, aut cujusvis entis, quod necessarios quosdam effectus producit, et in judicio de bonitate vel malitia actionum humanarum. In laudando machinae artificium, eiusque functiones, ac bonos effectus, nos proprie non machinam, sed ejusdem auctorem laudamus: at cum hominem honestum, justum, virtute praeditum dicimus, subjectum nostrae landis est ipsa hominis persona: ipsi imputamus meritum suae actionis. Haec est significatio propria vocis *imputare* in actuali et reali systemate, quae essentialiter supponit ideam liberi arbitrii.

« Itemque non quaero, ait Tamburinius, utrum leges » esse possint media necessaria, quae determinent ens non » liberum ad agendum: hoc tantum dicam: in praesenti re» rum conditione leges et a legislatoribus semper impositas » esse, et a civibus receptas cum hac intima persuasione, eas » tales esse quae possent ab illis libere vel servari vel vio» lari. Quapropter in quolibet orbis tribunali transgressor le» gum punitioni subiicitur, non solum ad deterrendos alios, » sed quia reus ipse censetur, eique crimen imputatur, ejus » actio improbatur, et in eo ipso moralis ordo et justitia vio» lata vindicatur. Hic semper fuit hominum sensus in dandis » recipiendis vindicandisque legibus . . . Praemia quoque, » juxta hominum sententiam constituunt partem essentialem » justitiae distributivae. Hinc non ea habentur tamquam sola

» motiva ad bene agendum, sed etiam veluti merces virtuti
» debita . . . Hae sunt ideae, quae prostant in codicibus le-
» gislatorum, et in libris philosophorum, historicorum, poe-
» tarum, et scriptorum omnium nationum, omniumque sae-
» culorum ».

Itaque actualis legum et sanctionum ratio, conscientia officiorum, notio imputabilitatis continet conscientiam propriae libertatis; cujus existentia quamquam a metaphysicis praecipue demonstretur ex *immediato* intimi sensus testimonio, tamen per haec omnia aperte confirmatur. Inde quoque apparet, quod initio ajebam, in idea cujusvis actus moraliter boni aut mali, seu in conceptu moralitatis, essentialiter includi, et supponi conscientiam libertatis una cum cognitione obligationis moralis, quae ex praeceptis vel legibus efficitur. Quapropter moralitas recte definitur convenientia aut repugnantia actionis humanae seu liberae cum lege et obligatione morali.

Quae cum ita sint, duo haec elementa expendere debemus in hoc ethicae generalis tractatu, eumque in duas partes dividimus, quarum prima agit de *legibus*; altera de *actibus humanis*.



PARS PRIMA

DE LEGIBUS.



SECTIO PRIMA

SYSTEMATA PHILOSOPHICA DE ORIGINE, NATURA, ET PRINCIPIO CONSTITUTIVO LEGUM MORALIUM.



CAPUT PRIMUM

PHILOSOPHORUM SYSTEMATA DISTINCTE ENARRANTUR.

ARTICULUS I.

Systema sensualistarum.

Primum hoc sensualistarum systema (scilicet eorum qui nihil scire homines posse ajunt, praeter ea quae sensibus externis subjiciuntur, nullum bonum homini esse nisi corporis voluptatem, nullum malum nisi dolorem physicum) omnem naturae legem, ac moralitatem naturalem penitus evertit. Statuit enim hominem sui juris natura esse et *exlegem*; jus in potentia physica collocat, ita ut quantum quis physice pollet, tantum jure suo agat, et quidquid *libet liceat;* nihil autem esse in natura justum aut injustum, honestum aut turpe, bonum aut malum morale; verum haec omnia legibus civilibus pactis et consuetudine definiri.

Hujuscemodi criteria tamquam bases seu potius pestem et eversionem moralitatis posuerunt multi ex veteribus recentioribusque pseudo-philosophis. Haec fuit Aristippi doctrina, universaeque sectae cyrenaicae, cujus ipse fuit auctor. Eamdemque Democriti et Epicuri discipuli professi sunt. At-

que ut scepticorum versatilem dubitationem praeteream, si historiam consulamus, pervulgatam hanc opinionem reperiemus, ut qui viribus praevalet, illud Achillis plerumque sibi proprium usurpet. « Jura negat sibi nata: nihil non arrogat » armis ». Atque illud Taciti l. 15 Annalium « in summa » fortuna id aequius quod validius ». Quare objurgantibus Romanis Gallos quasi injuria Clusiorum urbem oppugnassent « subridens Gallorum rex Brennus, injuria, inquit, nos » Clusii afficiunt, qui solum et agrum latius affectent pos» sidere, quam colere valeant; neque advenis nobis, qui multi » sumus et inopes, partem concedant finium. Eadem in vos » injuria, Romani, primum Albanorum, Fidenatium Ardea» tium fuit: nunc Vejentium, Carpenatium multorumque » Falisci nominis, quibus nisi partem fortunarum suarum » vobis concedant, arma infertis, in servitutem eos abripitis, » populamini, urbes exscinditis. Neque factum id vestrum ta» men iniquum sit; sed antiquissimam legem sequimini du» cem, quae fortibus res largitur ignavorum, ducta a Deo et » ad bruta usque terminans » (Plutarcus in Camillo p. 136).

Haec veterum philosophorum deliramenta, et audacissimorum hominum corruptelam renovare et adornare aggressi sunt primum Hobbesius duobus editis operibus, quorum alterum *de cive*, alterum *leviathan* inscribitur; summaque calliditate impium iniquumque propositum studet operire: Spinoza vero in tractatu politico praesertim, nec non in alio tractatu theologico-politico, et in ethica; itemque Helvetius in opere, cui titulus *l'esprit*, eamdem impudentissime sententiam declarant (1).

Quamquam veteres recentioresque sensualistae, pro diversitate ingenii, falsorumque dogmatum quae profitebantur varia ratione hoc systema proponant; tamen in hisce capitibus una consentiunt.

(1) Hobbesii et Spinozae systemata egregie enarrantur, et per partes expenduntur, ac refutantur ab Ant. Genuensi in elementis Methaphys. t. 4. de principiis legis nat. Helvetianum autem systema videre est apud Galluppium Elementi di Filosofia t. 5 c. 3 §. 26.

1.° Statum hominis naturalem quavis morali lege ac societatis vinculo solutum, ac plane liberum esse; nulla honestatis, justitiae, et humanitatis officia habere; unam regulam ex natura homini datam physicum instinctum ut ceteris animantibus, tantumque esse cuique jus, *quanta sit potentia naturalis*. Uno verbo naturalis hominis conditio est brutalis, ac belluinus egoismus. Quare in statu naturali singulos a singulis timere debere, eumque esse *statum mutuae inimicitiae*.

2.° In hoc statu independenti, vago, ac perpetuae diffidentiae, bellique mutui, in quo omnes in omnes per vim ac dolum concertant, propria cujusque utilitas, ut suae vitae et incolumitati consulerent, singulis persuasit, naturalem libertatem deponere, et civilem societatem constituere, *qua plures homines in eumdem finem sociantur*, et collocatis in unum singulorum civium potentiis, sponte supremi regiminis voluntati ac legibus subjiciuntur. En origo societatis inter homines et cujusvis obligationis moralis, quae non ex natura, sed tota ex hominum voluntate et pacto repetenda sit. « Regulae boni » et mali moralis, justi et injusti, honesti et inhonesti sunt » *leges civiles*: ideoque quod legislator praecepit, id pro bono, » quod vetuerit id pro malo habendum . . . . Ante imperia » justum et injustum non extitere, ut quorum natura ad man» datum sit relativa ; actioque omnis sua natura adiophora » (seu indifferens) est (Hobb. de cive c. 12 §. 1: similiter Ari» stippus apud Laertium lib. 2 §. 195; et Helvetius Dissert. 3 c. 4 op. cit. aliique).

3.° Cum ex voluntate solius imperantis in civitate existat regula boni et mali moralis, justi et injusti; sequitur quidquid fecerit princeps impune esse; eumque legibus civilibus non teneri, et ejus voluntatem esse indefinitam: legislatoris est, quid in unaquaque civitate justum et honestum; quid secus esse debeat, sancire; et quando in civitate actio quaedam desinit esse honesta ac bona, fiat turpis ac mala. Quae autem ab hoc legislatore justa decernuntur, ab alio velut iniqua damnari possunt; idemque legislator commutatis suae

civitatis commodis ac circumstantiis, leges justi et honesti temperare ad libitum potest.

4.° Ceterum civilis haec aequitas et bonitas nunquam in republica habebitur, nisi sapiens legislator ita statui suae civitatis leges accommodet, ut cives nullo pacto maxima mala naturalia effugere possint, et physicae voluptati satisfacere nisi pareant ejus legibus. Cum hac enim conditione supremae potestati suum obsequium promittunt, atque etiam inter aequales pacta ineunt, dummodo obtemperare legi, vel pacta servare propriae utilitati consentaneum sit. « Nam qui quid-» quam alicui promittit, is naturali sua agendi potentia, ac » propterea jure minime se spoliat, ut in illum conferat: ideo-» que si possit promissis resistere, jure suo resistit; nec est » quod de rupta fide, qui minus potest, quaeratur: cum quae-» ri non possimus jure naturae alios agere (Spinoza) ».

Quaecumque igitur de hominis virtutibus tamquam ex ejus natura deductis tradiderunt philosophi sunt *speciosa praeter naturam adinventa, hominum deliramenta* (Callicles in Gorg. Platonis); quaeque dicuntur naturalia hominis ad hominem, gentis ad gentem officia, inter Platonis chimaeras accensenda sunt (Helvetius); cum nulla officia existant nisi inter ejusdem reipublicae cives: nulla detur virtus, nisi civilis, eaque est *habitus actuum utilium propriae civitati*, quae tota ab hominum voluntate, et privata utilitate nata, eadem utilitate privata dimetienda est ac temperanda (Videsis Lucretium l. 5 et Horatum l. 1. Sat. 3).

ARTICULUS II.

Systema philosophorum a Deo praescindentium.

Quae articulo superiori retulimus sunt sophistarum commenta, qui firmissimas philosophiae bases subvertunt. Ceteri qui philosophi nomen merentur, quamquam diversis methodis et viis, omnes una consentiunt, existere ordinem justitiae et honestatis independenter ab hominum arbitrio, et qua-

vis scripta lege et pactione antiquiorem. Ex his vero multi, recentiores praesertim, qui quidem (si perpaucos excipias) de theologia naturali recte sentiunt, contendunt tamen legis naturalis existentiam et vim obligandi concipi ab hominibus, etiam seposita Dei ejusque providentiae notione; quos ideo *praescindentes* appellamus. Homines, ajunt, naturae ordinem intuentes, et detegunt regulas humanae naturae convenientes, et eas vim obligationis moralis in seipsis habere perspiciunt.

In his si excipiantur diversae philosophandi methodi, et variae idealogicae opiniones quibus imbuti fuerint, quas nostra non interest inquirere, facile apparebit, tres praescindentium species distingui debere quas singillatim exponam.

1.° Prima *praescindentium* classis *eudemonismi* nomine appellatur, eo quod philosophi hujusmodi in ratione suae cujusque utilitatis versentur: quorum sententia ita se habet. Homo omnibus actibus sive spontaneis, sive liberis voluptatem quaerit aversaturque dolorem, uno verbo propriam utilitatem felicitatemque velut suum centrum naturaliter et necessario desiderat, appetit, quaerit. Felicitas igitur est finis, quo natura sua tendere debet. Perspecte autem distinguenda est ipsa hominis felicitas, quae subjectiva est, ab objecto seu causa efficiente ejusdem felicitatis. Enim vero hominis felicitas est status *acquiescientiae et voluptatis*, in quo scilicet, quoad fieri potest doloribus et angoribus homo careat, suaque desideria expleat; omnes vero res illae et actus, qui dolores et incommoda removent, vel utilitatem pariunt, sunt objecta et causae efficientes felicitatis; ideoque *bona* appellantur; secus *mala*. Cum autem homo, qui libertate indifferentiae pollet, ignorantiae et erroribus sit obnoxius, agiteturque passionibus vehementibus, sequitur eum errare posse in mediis eligendis ad suum finem ordinatis, et fieri facile potest, ut dum suis actibus felicitatem consequi studet, ab ea declinet, et miseriam incurrat. Hinc necesse est, ut recta ratio ejus voluntatem contineat, doceatque unde vera hominis felicitas resultet, distincte indicando eas actiones quae recta ad eam assequendam servandamque deducant,

quaeque illi opponantur. Porro inspecta hominis natura, qui ex duplici veluti vita animali et intellectuali coalescit, apparet veram hominis felicitatem, quae nobis hic dari possit, tum haberi, cum *mentem sanam in corpore sano* servemus. Igitur non omnes sensuum voluptates, animique oblectamenta vera sunt bona, neque omnes animi corporisque labores et dolores vera mala censenda sunt: itemque quae per se bona et mala sunt, respective considerata, saepe commutantur fiuntque contraria.

Recta ratio itaque hoc primum statuit, *vitae humanae felicitatem ex summa voluptatum totius vitae aestimandam esse; miseriam autem ex summa dolorum totius vitae.* Hinc sequentes canones enascuntur. 1.° dolorem qui nos e majori dolore et incommodo eripit verum bonum esse: 2. dolorem qui utilitatem voluptatemque efficit, verum esse bonum; 3. voluptatem, ex qua dolor consequatur, verum malum: 4. voluptatem, quae nos majori ac solida utilitate privat, verum malum esse.

Quare summopere necessaria nobis est *prudentia* in agendis, vel omittendis, ut omnia conducant ad recte beateque vivendum, nec non temperantia, aliaeque virtutes quae inordinatos animi motus coerceant, ne diffluamus voluptatibus, quae *mentem deprimunt, corpus frangunt, mortem accelerant;* animique firmitatem et constantiam servemus in laboribus et incommodis perferendis, ac superandis. Vera autem nostra utilitas, cum communi aliorum hominum utilitate, naturalem, et necessariam relationem habet. Nec enim esse, aut vivere ac perfici potest homo sine aliorum commercio et societate, ut fuse et apposite philosophi isti demonstrant. Nec societas stare inter homines potest, nisi in amicitia fundetur. Hinc recta ratio dictat, necessario servanda esse omnia officia socialia, quae illis generalibus sententiis comprehenduntur, *neminem laede, redde unicuique quod suum est, alios etiam atque etiam juvato.* Quae quidem officia immediate aliorum utilitati prosunt, verum nos ideo praestamus, quia haec ad nostram felicitatem necessaria sunt.

Haec quae summatim a nobis exposita sunt ad ideam hujus systematis distincte exhibendam, ab hujusmodi philosophis fuse pertractantur, ut ostendant singula legis naturae praecepta, quantumvis gratuita videantur, habere semper necessariam relationem cum nostra vera hujus vitae felicitate. Quapropter legem naturalem eas generales regulas esse definiunt, quae nostram voluntatem dirigunt ad nostram felicitatem, patefaciendo actus qui ad eam directi sint, et qui eidem opponantur.

2. Altera *praescindentium* opinio in idea pura et gratuita virtutis insistit, quare *rationalistae puri* solent appellari. Praecepta moralia non mercenaria, sed a quovis propriae utilitatis calculo aliena et pura, eaque per se ipsa autonoma esse contendunt philosophi, qui hanc opinionem profitentur. Distinguunt enim in homine duo primitiva desideria et naturales impulsus, desiderium appetitionemque propriae felicitatis, ac desiderium appetitionemque felicitatis alienae. Regulae quae moderantur ac regunt desiderium propriae utilitatis, constituunt prudentiam oeconomicam; regulae autem, quae respiciunt publicam privatamque aliorum felicitatem, ad quam gratuito procurandam naturae impulsu incitamur, comprehendunt omnia legis naturalis officia.

Itaque mens humanâ, praeter has propriae utilitatis, habet et alias distinctas honestatis, justitiaeque regulas quovis privatae utilitatis calculo praestantiores. Etenim quaecumque placeat ratio explicandi originem *idealogicam* notionum moralium, novit mens humana justitiae honestatisque dictamina absoluta et universalia, eaque apprime convenire hominis naturae, ut in suo gradu et excellentia species humana conservetur. Haec autem universae justitiae et honestatis praecepta veram obligandi vim in seipsis habere cognoscit, adeo ut si homo ab illis declinet, praesentissima suae conscientiae sententia seipsum condemnet, vel contra.

3. Tertia praescindentium opinio, quae *sentimentalismi* nomine designatur, affinis maxime est praedictae *rationalista-*



rum opinioni, imo utrique unum systema retinent, diversa ratione conceptum et expositum. Utrique enim in philosophia morali adstruenda et adornanda notionem officiorum et virtutis gratuitam et puram a quocumque privatae utilitatis calculo considerant, ac per se subsistentem et veram obligationem hominis libertati imponentem. In hoc tantum differunt, ut *rationalistae* in principiis generalibus ab intellectu perceptis; *sentimentalistae* in sensu morali vim legislatricem ponant.

Philosophi animi humani facultates subtilius introspicientes deprehendunt in homine duplicem instinctum *animalem* et *rationalem*, vel ut vocant *physicum* et *moralem*. Cum enim homo ad duplicem quasi vitae rationem natura sua factus sit, ad eam, quae communis est omnibus animantibus, et ad aliam praestantiorem, scilicet intellectualem et moralem: hinc natura tamquam legem conservationis et reparationis duplicem vim seu instinctum homini dedit. Instruxit enim eum externis sensibus, quibus varias sensationes ab objectis materialibus excitatas perciperet, simulque activitatem, seu instinctum physicum indidit, qui independenter a rationis usu in functionibus principalioribus ad conservationem et propagationem humanae speciei necessariis, coeco impetu duceret. Itemque si attente hominis animum consideremus, aliam vim seu instinctum rationalem et moralem reperimus, quo statim ac termini cujusdam propositionis intellectui repraesentantur illico veritatem aut falsitatem sentimus, vel subodoramus: ita in conceptibus logicis ordinem, harmoniam, convenientiam partium, nulla praemissa ratiocinatione, sentimus et oblectamur; contra vero indecora et inordinata odio habemus. Sensus autem iste internus et rationalis in iis objectis quae honestatem, justitiam, totamque vitam socialem et moralem spectant, in omnibus exquisitissimus est: primaria enim legis naturalis officia vel pueri, vel rudiores homines persentiunt, et cum inhonestis et iniquis, tum honestis et aequis vehementissime permoventur: sentiunt honestatem, et justitiam, ad eamque incitantur, et a contrariis retrahuntur.

Haec veluti semina sunt vitae rationalis et moralis ab omnibus philosophis animadversa et explicata vel per ideas innatas vel per intrinsecam proprietatem animae rationalis et liberae (1). Sicut igitur per physicum instinctum natura duce hominis vita conservatur, et species humana propagatur, quo sola ratio vel nunquam , vel sero pervenire posset; ita per moralem instinctum firma in hominum mente retinentur primaria legis naturae praecepta, et de officiis suis immediata voce et exquisitissimo sensu admonentur omnes, unde etiam *sensus communis* appellari solet.

Sensus iste, qui certe maximi usus in vita est, ab intemperantioribus philosophis plus aequo extollitur, ita ut eum *rationi ipsi praeferant*, et potius *sensui morali*, quam *rationi* obtemperandum praedicent (Hum. sag. 5. Rousseau Emil. t. 3). Quod autem ad rem nostram attinet, notanda hic praecipue est opinio recentior britannicae philosophiae, quae sensum hunc *internum* et *moralem instinctum* ponit pro fundamento seu *principio constitutivo* moralitatis. Antonius Shafsterbury hujus novi systematis auctor fuit, quem Hutchesonius, Humius, Reid, Dugaldus Stewart, aliique multi sequuti sunt. Quorum criterium ita se habet. Posita existentia *interni sensus* seu instinctus moralis (idest illius facultatis animi nostri, qua oblato conceptu logico, immediate et sine ulteriori examine persentiscimus veritatem, ordinem, honestatem, eaque valde delectamur, ad eamque amandam et consequendam voluntas naturali impulsu movetur; e contra angimur rebus inordinatis, inhonestis, iniquis, easque aversamur, et refugimus) animadvertunt philosophi de quibus loquimur, quod internus sensus est vox primitiva naturae, quae omnibus aequali modo loquitur: differentia maxima inter homines in intellectu

(1) S. Aug. l. De Civ. Dei c. 23. « Habemus enim alium interioris » hominis sensum isto (scilicet sensu corporeo) longe praestantiorem, » quo justa et injusta sentimus . . . Ad hujus sensus officium non acies » pupillae, non foramen auriculae, non spiramen narium, non gustus » faucium, non ullus corporis tactus accedit ».

est; at sensus moralis idem habetur in omnibus. Eadem enim ratione docti et indocti de justitia, honestate, ceterisque virtutibus ac vitiis sentiunt; justum et injustum, honestum, ac turpe grato et ingrato sensu distinguunt, appetunt, et aversantur. Ratio, cum in mente perfecta est, repraesentat actum justum et injustum cum omnibus suis circumstantiis, et demonstrat relationem necessariam, quam illi actus habent cum conservatione, et perfectione humanae societatis, quomodo referantur ab bonum, vel malum commune, et ad ordinem naturae humanae proprium servandum vel perturbandum. Quo demonstrato, intellectus munus suum explevit. Ratio cur ea, quae aliis et universo praesertim humano generi utilia sunt, nos oblectent, eaque appetamus, amemus, approbemus; quaeque ceteris hominibus nocent, abhorreamus, reprobemus, est in dispositione nostrae naturae, in interno sensu. In pueris in foeminis in hominibus rudioribus actus honesti, justi, et his contrarii non repraesentantur cum omnibus illis relationibus ad commune humani generis bonum, et universalem ordinis conservationem: attamen pueri foeminae rudiores homines aeque ac philosophi virtutis pulchritudinem et bonitatem sentiunt et naturali tendentia impelluntur ad aliorum felicitatem amandam, ac promovendam; affliguntur autem si eam cum possint negligant, maximopere vero excruciantur, etiamsi cum privata utilitate, iniqua et crudelia facinora admittant.

Itaque ratio hominibus repraesentat actus virtutis et vitii, et plus minusve demonstrat relationem, quae intercedit inter hos actus et aliorum utilitatem; hos actus vero praecedit, comitatur, subsequitur exquisitissima animi oblectatio, vel dolor; et absoluta et universalis naturae propensio et vox, quae nos ad virtutem impellit, retrahit a vitiis. Igitur moralis sensus aeque omnes de suis officiis monitos facit, iisque moralem obligationem imponit; quia praesentissima, et inevitabili sententia intimat officia; conscientiae testimonio damnat sontes, eorumque exquisitissimis poenis ex-

cruciat animum : justos autem, liberales, honestos approbat, maximaque pace et gaudio perfundit. Itaque virtutem definio, ait Humius, *quemlibet humanum actum, qui sensum voluptatis et approbationis excitat in animo eorum, qui praesentes sunt ;* viceversa *vitium.* Quare sensus moralis est legislator et *autonomus.* Lex inquam illa naturae quavis scripta lege antiquior, quam aperte vel ipsa D. Revelatio significat, cum de ethnicis ait « ejusmodi legem (scriptam) non habentes » *ipsi sibi sunt lex,* qui ostendunt opus legis *scriptum in cor-* » *dibus suis,* testimonium reddente illis *conscientia ipsorum,* » et inter se ipsis cogitationibus accusantibus aut etiam de- » fendentibus (ad Rom. 2. 14. 15) ».

Nec alia reperiri posset ratio opportunior hominum indigentiae, nec non sapientiae ac bonitati Auctoris naturae, quam ingenerando in homine internum sensum autonomum; quo facile et immediate omnes indiscriminatim homines honesta ab inhonestis, justa ab iniquis discernerent, sicut per sensus externos dulcia ab amaris, alba a nigris illico distinguunt.

Quaeret fortasse quispiam, undenam philosophi isti, seposita Dei imperantis idea, vim legis et obligationis repetant? Respondeo, triplicem esse eorum sententiam : alii censent rationis principia, sive mercenaria, sive pura, utpote quae essentialem et necessariam idearum relationem continent, vim legis in seipsis habere : alii vero hanc imperandi et obligandi vim inesse, ajunt, in dictaminibus sensus moralis, quae unicuique absolute praecipiunt quid faciendum fugiendumve sit : alii denique statuunt, ipsam hominis naturam, sive per rationis principia, sive per moralem sensum perspectam et cognitam, esse principium constitutivum legis naturalis. Quae omnia sect. 2 c. 3. a. 3 accuratius evolvere et expendere oportebit.

ARTICULUS III.

Systema theologicum.

Ultimum hoc systema directe opponitur systemati praescindentium: isti enim posthabita Dei ejusque providentiae notione tamquam adiaphora, philosophiam moralem tradunt: veluti astronomiae, mechanicae, aliarumque naturalium disciplinarum leges, nulla facta mentione supremi auctoris naturae, a physicis tradi solent. Contra vero philosophi, quorum systema nunc enarro, affirmant, seposita idea supremi auctoris et legislatoris hujus mundi, nullum legis et obligationis moralis conceptum, nullam vel in theoria, vel in praxi moralitatem dari posse. Itaque necessarium ejusdem fundamentum seu *principium constitutivum* moralium obligationum *voluntatem* esse dicunt *omnia ratione aut jubentis aut vetantis Dei.* Quorum sententia duplex est et accurate distinguenda: alia enim vera et a praestantissimis omnium aetatum philosophis retenta: alia autem falsa omnino et superstitiosa, in quam non obscuri nominis philosophi lapsi sunt.

Sunt enim nonnulli *qui voluntatem quidem Dei fundamentum* esse ajunt universi juris et moralis obligationis; sed hanc voluntatem considerant praecisam ab aeterna Dei ratione, scilicet intelligunt *liberam et arbitrariam Dei voluntatem*: atque ideo quaedam opera esse justa, quaedam injusta, honesta vel turpia, quia ita Deo sancire placuit, ac libere praecepit. In hac sententia fuere Renatus Cartesius (quem nervose et subtiliter confutavit Cudworthus in opere *de aeternis et immutabilibus justi et honesti notionibus* cap. 3) Puffendorfius (l. 1 de I. N. et G. c. 11 §. 6) Samuel Coccejus (diss. 1 proemial ad Grotium cap. 2 sect. 3 §. 58). Tomassius, aliique.

Altera sententia docet voluntatem Dei jubentis quid faciendum, vitandumque sit, unicam causam et principium constitutivum esse obligationum; hanc autem Dei voluntatem

essentialiter ac necessario conformem esse ordini et systemati naturae ab eo creato. Itaque contemplatio humanae naturae ostendit, quid homini conveniat quid eum dedeceat, quid hominem ad suum finem ducat, quid ab eo separet; id autem consequenter manifestat irrevocabilem *Dei voluntatem ordinem naturalem hominis proprium conservari jubentis perturbari vetantis*. Igitur juxta hanc sententiam, sunt in actibus humanis quaedam recta et honesta et justa secundum naturam et non quasi lege posita. Vis autem obligandi hominemque in officio continendi nonnisi a necessaria Dei imperantis voluntate repetenda est.

Notandum vero est quosdam fuisse, qui hanc sententiam profitentes, nihilominus primae opinionis loquendi rationem retinent ajentes juris naturalis fontem esse *liberam Dei voluntatem*. Hi quidem re a sententia secunda, et a veritate non dissentiunt; sed dum inopportunis loquendi modis utuntur, multa dicunt non satis accurata et recta. Exemplo sit Vincentius Bolgenius (Diss. sugli atti umani). Is enim ait omnium legum cum *positivarum*, tum *naturalis* originem esse *liberam Dei* voluntatem, et tamquam falsam traducit receptissimam illam distinctionem inter actus humanos *prohibitos* quia mali sint, idest natura sua inhonesti et iniqui, quales sunt qui a lege naturali vetantur; *et actus humanos malos quia prohibiti*, scilicet a legibus positivis. Praeterea alia addit de mutabilitate naturalium officiorum, ut ipse putat, quae non admodum recta mihi videntur. Dein vero mentem suam declarat ajens se ideo *libertatem* ponere pro fundamento legis etiam naturalis : quia Deus libere hominem creavit, libere eum ratione ac libertate arbitrii donavit, libere eumdem humanae societatis indigentem fecit. « Itaque, subdit, cum nos repetimus originem omnium legum atque » etiam legis naturalis a libera Dei voluntate, constituimus » eodem tempore naturalem legem in ipsa rerum essentia et » in natura hominis, attamen dependenti a dispositionibus » libero divinae voluntatis actu praeordinatis. Omnia officia

» obligationesque morales erga Deum, erga scipsum, erga
» alios sunt omnes consequentiae necessariae, et naturales
» facultatum, inclinationum, indigentiarum, quae constituunt
» et comitantur hominis naturam; consequentiae, inquam,
» quae derivantur ex fine, ad quem homo tendit, et ex me-
» diis, quae Deus illi dedit ad eumdem finem obtinendum ».
Postrema haec rectissime se habent; sed hoc non probo, quod unam eamdemque legum positivarum et legis naturalis causam ponat, liberam Dei voluntatem. Etenim cnm leges naturae necessario deriventur ab ipsa hominis natura adeo, ut repugnet Dei attributis eas non jubere, ut ipse Bolgenius ibi affirmat; nonnisi improprie dici potest, liberam Dei voluntatem fontem esse naturalis juris; ex qua incongrua loquendi ratione sequuntur et aliae opiniones minus accuratae et communi moralistarum sententiae repugnantes, quas superius indicavi.

ARTICULUS IV.

Epilogus systematum.

Systemata philosophica de principio constitutivo obligationum moralium ad tria capita superius retulimus. Primum *sensualistarum* systema diximus, qui negata legis naturalis existentia, omnes obligationes morales a pactis et a legibus civilibus repetunt; ideoque in eorum sententia *humana voluntas*, seu rectius (non attendendo ad fatalismi errorem ab hujus systematis essentiali conceptu alienum, quem sensualistae passim profitentur) *arbitrium hominum* est fundamentum universi juris et obligationis moralis.

Secunda classis est *praescindentium*, qui asserunt quidem existentiam legis naturalis, sed nulla interposita idea auctoris et conservatoris naturae, ab ipsis hominis facultatibus rerumque relationibus et naturali earumdem conditione derivari naturae legem, et per se subsistere dicunt. Idque

triplici modo proponunt. Alii in *principiis rationis mercenariis*, seu in calcnlo propriae felicitatis recte instituto, alii in *principiis rationis purae*, seu rernm omnium ordinem et generalem humani generis ntilitatem reprehesentantibus; alii in *instinctu morali*, per quem hanc eamdem rerum convenientiam et ordinem homines sentiunt, ed ad aliorum felicitatem optandam, ac procurandam impelluntnr, omnem vim officiorum contineri censent. Ex qnibus patet, primam harum trium opinionum versari in amore mercenario, seu in amore propriae felicitatis: ideoque virtus ab eis definitur *amor ordinatus propriae utilitatis*. Secunda et tertia opinio specifice non differunt inter se: utraque enim docet, moralia praecepta vel unice, vel primario ordinis custodiam, et aliornm utilitatem prospicere: itaque in utraque sententia cum a rationalistis tum a sentimentalistis virtus ponitur in *amore ordinis et pura philantropia:* quare *praescindentium* opiniones duae tantum sunt specie differentes, ea quae statuit, morum praecepta primario et immediate amorem propriae felicitatis praescribere: altera quae affirmat, praecepta moralia nonnisi amorem benevolentiae et amicitiae erga ceteros homines imperare. In tertio systemate *theologico* duas recensui sententias bene distingnendas, quorum altera principium *constitutivum* praeceptorum moralinm in *libera Dei voluntate ponit*: altera vero voluntatem quidem imperantis Dei pro essentiali fundamento omnium obligationum moralinm habet, attamen eam dicit aeternis et immutabilibus justi et honesti notionibns necessario conformem.

Quae cum ita sint haec varia et inter se discrepantia systemata snb simplicissimo aspectu considerare possumus. Alii enim negant in actibus humanis quamlibet intrinsecam, necessariam, et naturalem bonitatem ant malitiam, omnemque moralem differentiam et officiorum qnorumvis originem a positiva institutione ac voluntate vel hominum, vel Dei ponunt. Contra vero alii philosophi statuunt, conceptum obligationum moralium in homine *essentialem* et *naturalem*. Ita-

que origo moralium officiorum, vel ab *arbitrio est*, vel a *necessitate;* ab arbitrio sive humano sive divino; a necessitate autem vel quae continetur et conspicitur in uno naturae systemate (in quo determinata sunt media necessaria ad finem cuique individuo et speciei proprium obtinendum, quod exhibet necessitatem theoreticam, et hypotheticam); vel quae est in ratione ac voluntate Dei, quaeque in ordine naturali impressa est et signata (quod exhibet necessitatem practicam et absolutam, ut inferius aperte demonstrabo). Quapropter apparet praeter ea quae superius exposui nullum aliud dari posse specifice diversum ac novum systema de causa seu principio constitutivo obligationum moralium.

Hinc factnm est, ut intra hosce limites vaga philosophorum ingenia semper versata sint, nec eos umquam praetergressa. Si quis hanc eruditam et criticam disquisitionem addiscere cupit, consulere poterit opus Petri Tamburini, cui titulus *Lezioni di filosofia morale, e di naturale e sociale diritto vol.* 1 in duodecim lectionibus proemialibus, praesertim vero ll. 7. 8. 9. 10. 11. quibus demonstrat a remotissima philosophorum aetate ad haec usque tempora ipsissima supradicta systemata viguisse, et vicissim alterum alteri successisse. Causas quoque perspecte adnotat, quae dum unam philosophorum sectam labefactabant, et extinguebant, aliam illi oppositam excitabant, ac fovebant: adeo ut pateat, sensualistas, praescindentes, variis supra expositis opinionibus imbutos, et theologos moralistas, sive contemplativos, sive complexivos successive in gyrum processisse. Systema vero complexivum plus minusve perfectum a summis omnium aetatum philosophis excultum et retentum fuisse, semperque hoc unum inter homines viguisse, et moralia praecepta firma in eorum animis tenuisse.

CAPUT II.

EXAMEN CRITICUM IN SUPRA EXPOSITA SYSTEMATA.

ARTICULUS I.

De amore merceuario *virtutis.*

Sensualistarum systema differt vel maxime a primo praescindentium systemate de calculo propriae felicitatis recte instituto: illud enim negat existentiam legis naturalis, ac notiones justi et honesti voluntate hominum efformatas dicit: hoc autem officia honestatis justitiaeque a natura imposita affirmat. Philosophi enim qui hoc systema profitentur, ratione duce demonstrant, veram cujusque utilitatem naturali vinculo conjunctam esse cum communi hominum felicitate: ideoque omnes morum regulae, quae tamquam finem proximum societatis humanae custodiam et felicitatem habent, omnes itidem veluti in finem ultimum ad propriam cujusque felicitatem diriguntur. Hae autem regulae non ab hominum arbitrio, sed a naturae dispositione originem habent. Aliae quoque inter utrumque systema assignari possent differentiae, ex eo quod primum illud pluribus erroribus, fatalismo, materialismo, atheismo, aliisque scateat; in altero autem a sanioribus philosophis exculto, nihil hujusmodi reperiatur.

Quamquam maxima, ut diximus, inter utrumque systema differentia intercedat, principium tamen philosophicum, ex quo utrique suam sententiam adstruere conantur identicum est. Scilicet hoc principium utrisque commune est appetitus et inclinatio voluntatis in objecta grata, et aversio ab ingratis, seu desiderium propriae felicitatis, quod connaturale est homini, simulque causa ejus activitatis. Sensualistae ex hac appetitione privatae cujusque utilitatis deducunt homines ad civilem societatem constabiliendam, et ad leges civiles

ferendas de justitia et honestate. Alterius autem systematis patroni propriam utilitatem cum communi ceterorum hominum utilitate naturaliter et essentialiter conjunctam esse docent: ideoque regulas justi et honesti, non ex arbitrio, sed a natura repetendas profitentur. Itaque demptis erroribus metaphysicis primi systematis, et absurdis consequentiis inde deductis, unum tantum efficitur systema de desiderio propriae felicitatis recta ratione considerato. Quod quidem exhibet veritatem summi pretii ac prorsus necessariam et fundamentalem in philosophia morali: scilicet veram hominis utilitatem cum virtute essentialiter esse consociatam; adeo ut qui eam stndiose colit, felicitatem, qui eam contemnit miseriam certo consecuturus sit, (modo tamen in computatione felicitatis nullum elementum praetermittatur, de quo inferius). Cum enim omnia legis naturalis praecepta ad conservationem, perfectionem, ac tranquillitatem societatis humanae necessaria sint; cumque homines, qui hujusmodi officia ad aliorum commodum directa factitare debent, naturali et necessario impulsu in suis omnibus actibus propriam felicitatem quaerant, necesse erat, ut sapientissimus naturae auctor ita consuleret hominum ingeniis, ut per propriae quoque felicitatis incitamentum homines ad juste honesteque vivendum alliceret: ac per doloris ac miseriae stimulos a pravis et iniquis facinoribus avocaret. Quod quidem factum est, idque summis philosophis exploratum, qui maximopere inculcabant, ut hanc recte vivendi tamquam formulam prae oculis semper haberent homines « (Cic. de off. l. 2 c. 3. De leg. l. 1 » c. 12). Quidquid honestnm, idem esse utile, nec utile » quidqnam; quod non sit honestum; ex quo consequitur, » unum debere esse omnibus propositum; ut eadem sit » utilitas uniuscujusque et universorum. Quare omnes ut » honestis consiliis justisque factis, non fraude et malitia se » intelligant ea quae velint consequi posse. Recteqne So» crates execrari eum solebat, qui primus utilitatem a na-

» tura (idest a naturae lege) sejunxisset. Id enim quere-
» batur caput esse exitiorum omninm (1) ».

Itaque veritas summi momenti, quae ex hoc systemate deducitur, haec est, nempe *officiis justitiae et honestatis ab ipsa natura appositam esse sanctionem praemiorum et poenarum*; qua de re suo loco distinctius et data opera disseremus.

ARTICULUS II.

De amore gratuito virtutis.

Quod de duobus primis systematibus feci, idem de *rationalismo puro*, et de *sentimentalismo* censeo faciendum, ut in unum tantum systema recte contemperatum reducantur: non solum quia utrumque, ut exposui antea, (c. I. a. 4.) eumdem habet scopnm, scilicet considerandi ordinem moralem, nulla habita ratione ad suam cujusque utilitatem, verum etiam quia si conjunctim considerentur, suum hoc, optimum sane, propositum perfecte assequuntur; sin autem separentur, et alterutrum per se ac seorsim accipiatur, mancum et visiosum omnino foret. Certum enim vero est, philosophum rectis rationis principiis accurate utentem cognoscere ordinem moralem homini convenientem: attamen non minus certnm est atque exploratum, inesse hominum animis nobilissimam illam vim, sen internum sensum, quo omnes, natura duce, hujusce ordinis moralis existentiam excellentiamque persentiunt, ad eumque amandum servandumque vehementer incitantur.

Ceterum maximopere hallucinantur philosophi illi, qui moralem hunc sensum, seposito vel saltem posthabito rectae rationis examine, pro regula et fundamento moralitatis po-

(1) Ipsae divinae scripturae ad amorem virtutis, et vitii odium homines excitant, proposita ubique *retributione mercede* et *corona justitiae*, vel exquisitissimis ac formidandis punitionibus.

nunt. Sensus enim iste per se a recto tramite facillime aberrare ac vitiari, nec unquam nisi rationis ductu corrigi atque emendari posset. Cujus rei ratio manifestissime patet, si consideretur, objectum sensus moralis non esse simplex et intuitive evidens; sed esse conceptum logicum complexum; in quo nisi omnes ideae expendantur, et inter se recte conferantur, ignorantia vel error obrepere facillime potest. Etenim conceptus hujusmodi, cum de moralibus officiis agitur, consistit in actu peculiari virtutis, qui supponit praeceptorum moralium, vel etiam consiliorum perfectam cognitionem; tum etiam plenam actionis particularis notitiam cum omnibus suis circumstantiis temporis, loci, personarum: ut diligenter conferendo hanc actionem cum lege vel consilio, inde deducatur eorum convenientia aut repugnantia; ideoque actionis rectitudo et honestas, vel contra. Jam vero in hujusmodi quantitate et qualitate idearum, quae simul considerandae sunt, facile fieri potest, ut aliqua omittatur, vel aliqua superflua intrudatur, aut vitietur: atque ita actio justa et honesta iniqua et turpis evaderet. Quam saepe evenire solet, ut liberalitas in prodigalitatem, amor paternus in mollem conniventiam ac licentiam, animi fortitudo in imbecillorum oppressionem ac tyrannidem, parsimonia in avaritiam, magnanimitas in arrogantiam ac superbiam, humilitas in pusillanimitatem convertatur? Itaque non raro nobis repraesentatur actio quaedam ex ea parte, quae pulchra et perillustris videtur, cujus complexus, si attente et undequaque consideretur, iniqua prorsus et inhonesta deprehenditur: ideoque sensus moralis, qui illico, prima virtutis specie oblata, allicitur et movetur, sine accurato rerum examine deciperetur. Cujus rei permulta exempla suppeditant quae passim in recentioribus praesertim tragoediis, comoediis, ac poematibus veluti heroica phantasiae hominum depinguntur, quia cordis affectus vehementissime permovent: non enim perspectum habent minuti isti scriptores, principem bonarum artium et totius humanae vitae canonem esse, ut mens cum affectibus

cordis apprime concordet, ut omnes animi motus ratione regantur. Quamquam ergo moralis sensus omnibus hominibus, cum ad perfectum rationis usum pervenerint, et ordinis moralis existentiam, et primaria legis naturae praecepta nota faciat, atque etiam in facilioribus et praecipuis virtutum ac vitiorum actibus moralitatem illico manifestet; attamen nisi recta ratione informetur ac dirigatur in maximos errores homines induceret. Quod pervulgatis etiam historiae monumentis locupletissime confirmari posset. Quapropter *sentimentalistae* rectae rationis criteria in conformando ac dirigendo morali sensu sine summo errore contemnere nequeunt. E contra vero *rationalistae puri* sensus moralis considerationem praetermittere non debent, qui et re vera in nobis est, et ad eumdem, quem sibi ipsi proponunt, scopum tendit, et maximi usus ac necessitatis est in universa vita rationali et morali, ut apertius suo loco declarabimus.

Quae cum ita sint, apparet, *rationalismum purum* et *sentimentalismum* recte inter se copulatos et contemperatos unum tantum efficere systema in suo genere perfectum, quod scilicet summi momenti veritatem, ab *eudemonismo* omnino distinctam, ac philosophiae morali pernecessariam continet. Sicut enim *eudemonismus* praemia et poenas virtutibus ac vitiis debitas paratasque ostendit, ita alterum hoc de puro et gratuito virtutis et amicitiae amore systema ordinem moralem hominis proprium demonstrat. Uno verbo systema hoc ipsam naturae *legem;* illud autem motiva validissima ad eamdem studiose servandam, idest naturalis legis *sanctionem*, manifestat.

ARTICULUS III.

De voluntate Dei arbitraria habita tamquam fonte universi juris.

Philosophi qui profitentur *voluntatem* Dei fontem esse universi juris et obligationis moralis in duplicem abiere sen-

tentiam, ut in expositione systematnm adnotavi. Prima considerat *hanc Dei voluntatem praecisam ab aeterna ejus ratione*, idest intelligunt hujusmodi philosophi *liberam et arbitrariam Dei voluntatem* esse *principium constitutivum* obligationnm moralium; atque ideo qnaedam opera esse justa quaedam injusta, honesta vel turpia, quia ita Deo placuit ac libere praecepit; et reprobant eorum sententiam qui statuunt quidem sine Dei imperantis notione nullum legis naturalis conceptum dari posse, sed ajunt Dei voluntatem necessario conformem esse *aeternae legi*, idest aeternis et immutabilibus jnsti et honesti notionibus « Et sane (ait Puffendorfius l. 1. « de I. N. et G. c. 11. §. 6) qni extra impositionem divi- » nam moralitatis actionum humanarum aeternam aliquam sta- » tuunt regulam, nibil aliud mihi videntur agere quam ut Deo » adjungant principium aliquod coaeternum, extrinsecum, » quod ipse in assignandis rerum formis sequi necessum » habeat ». Eademque Christianus Thomassius agens Puffendorfii paraphrasten et amanuensem concinit: » habet » haec doctrina scholasticorum aliquod analogi cum doctrina » gentium, in physicis cum materia prima Deo coaeterna, » in moralibus cum doctrina de fato ». Similia habet Samuel Coccejus. Vernm philosophi isti qui tamquam pntidum scholasticorum commentum doctrinam de aeterna Dei lege traducunt, animadvertere debebant longe ante aetatem scholasticorum eamdem doctrinam summis philosophis perspectam probatamque fuisse: quam in rem satis est legere Ciceronis libros de legibus, ac praesertim l. 2 c. 4. Sed cnrnam hi philosopbi ceteroquin docti et acuti talia protulerunt? Quia veritatem maximam prae oculis habebant, sed mixtam opinionibus non bene determinatis. Noverant stare nullo modo posse legis naturalis vim sublato Dei imperio: putabant autem, quod si admitteretur aeterna ac necessaria justi et honesti notio ac norma ante Dei voluntatem, (nostro tamen concipiendi modo) idem esset ac profiteri, stare legem naturae per se, sine Dei nutu: stare legem moralem posse sine

Dei imperantis voluntate. Asserere autem aeternam immutabilemque legem cui voluntas Dei contradicere et resistere nequeat, Deo indignum putabant, ac veluti errorem theologicum reprobarunt.

Ceterum considerandum est, aeternam Dei legem nihil aliud esse quam ipsam Dei sapientiam, qua rerum essentias earumque necessarias relationes novit inter causas et effectus, inter finem et media. Quae omnia habent in se necessitatem mathematicam. Scilicet in ipsa Dei natura et intellectu inest ratio justi et honesti, quibus notionibus aeternis et immutabilibus voluntas et potentia divina necessario conformis est. Libertas enim Dei in eo est ut possit creare ex. gr. corpus sphaerica figura praeditum, vel cylindrum, vel cubum; sed si cubum fecerit non potest ei cylindri aut sphaerae proprietates dare. Libertas et potentia Dei in *rerum existentia*, minime vero in earum *essentiis* immutandis valet. Non potest efficere quod contradictionem involvit, quod idem est ac dicere, Deum non posse esse insipientem, injustum, non posse seipsum negare. Concludam igitur cum Antonio Genuensi, qui commemorata eorum opinione qui voluntatem Dei praecisam ab aeterna ejus ratione fontem universi juris esse ajunt, ut quod Deo placuit id continuo sit justum, prosequitur « hoc ego in erratis pono, non quod non sit » justum quodcumque Deo placuit; nihil enim ei placere po- » test quod naturae suae non sit consentaneum, quod non sit » justum et sanctum; sed quod ante omnem Dei voluntatem » (licet hoc in loco ad mentis nostrae brevitatem accommo- » date loqui) in ipsa Dei natura et intellectu ratio inest, » justi et sancti. Itaque inde Dei voluntas, ut ita dicam, in- » formatur, ut nihil velit, nisi quod justum sit et sanctum ». (Disc. Metaphy. p. 4 de princip. legis nat. l. 1 c. 4 §. 5).

Itaque per legis aeternae doctrinam non admittitur principium aeternum a Deo distinctum, eoque praestantius; sed recte de natura Dei sentimus: neque inde aperitur latebra errori praescindentium, quasi notiones justi et honesti

stare possint sine Dei imperio, et praecisae ab ejus voluntate vim legis per se possint habere, quod inferius demonstrabimus.

Potius istiusmodi philosophi considerare debent, quae absurda consectaria ex eorum sententia deducerentur. Si enim ex arbitrio Dei differentiae morales deriventur, nullum foret naturae jus, nulla in actibus humanis essentialis et naturalis differentia, nulla in natura inter justum et injustum, honestum ac turpe distinctio esset: sed ideo quaedam bona quaedam mala, quia libere a Deo vel imperata vel prohibita; qui proinde poterat homicidium, fraudem, sacrilegium etc. non vetare aut etiam imperare; uno verbo ea omnia absurda ex hac superstitiosa sententia sequuntur, quae ex impio incredulorum sensualistarum systemate dimanant.

ARTICULUS IV.

De voluntate Dei aeternae legi necessario conformi, habita tamquam fonte universi juris.

Itaque horum philosophorum explosa sententia de libera Dei voluntate, videamus quid veri eruatur ex theologico systemate recte considerato. In primis autem notanda est nonnullorum nimis abstrusior explicandi ratio. Praestantissimi quidam philosophi ideis abstractis summopere intenti, hac nimis abstracta et contemplativa philosophandi methodo usi sunt in proponendo systemate de quo loquimur. Plato sapientissime morali philosophiae duo fundamenta posuit, Deum et immortalitatem animorum. Deus aeterna sua sapientia naturalem legem sancivit, in altera vita virtutis et vitii remunerator et vindex futurus. Principium igitur obligationum moralium esse Dei imperium, ultimum autem hominis finem in summo bono idest Deo collocandum. Sapientiam esse veluti radium illius solis, quae hominem similem

Deo reddit. Hominem vero a summa pulchritudine et bonitate progenitum naturali amore hoc summum bonum et pulchrum appetere, et quo magis sese a sensibilibus abstrahit, eo vehementius illius animum ferri in hanc adamandam supremam pulchritudinem; unde tamquam e radice omnium virtutum genera nascuntur. Hinc felicitatem humanam in unius ideae contemplatione reposuit Plato. Hac sublimissima et contemplativa philosophia valde etiam delectati sunt Malebranchius, aliique bene multi e cartesiana familia. Quibus aptari apprime possunt quae Aristoteles in sua ethica monet, duplicem distinguens hominis vitam et felicitatem, aliam hominis solitarii, quaeque potius *formis* a materia separatis et aeternis intelligentiis conveniat, aliam quae propria est hominis, aliorum hominum societate, et terrenarum rerum usu omnino indigentis. Itaque quamquam illa vita contemplativa sublimissima sit; tamen Diis, ut ait Aristoteles, relinquenda, et ea philosophia hominibus tradenda est, quae aptior ad mores hominum emendandos, ac regendos, et vitae communi magis accommodata. Non igitur abstracto et contemplativo modo Dei idea considerari debet in efformando moralitatis conceptu, sicut platonici et cartesiani solebant, sed socratica simplicitate, scilicet accurate circumspiciendo hominis naturam sub Dei providentia constitutam.

Quibus positis facile nunc est determinare ideam rectam et adaequatam hujus theologici systematis. Systema hujusmodi *complexivum* potius, seu omnium praedictorum systematum complexio, quam systema exclusivum dici debet. Scilicet in singulis systematibus partem veram assumit et suo loco ponit. Atque ita se habet. Hanc rerum universitatem summa sapientia, bonitate, et potentia condidit, ordinavit, et moderatur Deus. Entia non libera per leges physicas regit, et vi naturae in suo ordine continet: hominibus autem absolute imperat, ut naturae suae convenienter vivant, et caveant, ne libertate arbitrii abutantur. Regulae autem quae

humanae naturae conveniunt, scilicet quae ad eam conservandam ac perficiendam necessariae sunt, et quae illi opponuntur, per rectam rationem, et per moralem sensum rationi conformem ab ipsis hominis proprietatibus et relationibus eruuntur. Itaque regulae illae morales, quas intellectus noster demonstrat necessarias utpote media ad conservationem et perfectionem humanae speciei, et quibus sensus moralis concordat, sunt leges vere obligatoriae : quia adest absoluta Dei voluntas ordinem naturalem conservari jubentis perturbari vetantis, cujus imperio qui parent officio suo funguntur, et merito praemio remunerabuntur, qui justitiae honestatisque dictamina violant, Dei voluntati sunt rebelles, et rei, sanctionique poenali addicti. Ratio igitur, et voluntas Dei continet legem in se jam perfectam, et ut ita dicam, praeparatam, hominibus imponendam. Haec lex divina in ipsa hominis natura signata et insculpta est digito creatoris. Per rationem vero et per sensum moralem imperium Dei et sanctio imposita humano generi promulgatur. Itaque juxta hanc doctrinam ratio et sensus moralis non habent in se vim obligandi nec sanciendi; sed sunt velut principis edictum et praeco, quo manifestantur ea quae facienda vel omittenda sunt juxta imperantis voluntatem, et quae sanctio praemiorum et poenarum ab ea constituta sit. Hanc autem Dei voluntatem legem naturalem imperantis non esse arbitrariam et praecisam ab aeterna ejus ratione: sed posita rerum creatione, et naturae ordine constituto, essentialiter et necessario determinatam esse, in eoque signatam.

Itaque ea omnia criteria, quae in singulis systematibus proponuntur concurrunt ad legem naturae in suo *esse* et complemento inter homines constabiliendam. Attamen principium *formale* et constitutivum obligationum moralium, nullum aliud esse posse (concludunt hujus complexivi systematis doctores) quam « rationem et voluntatem Dei or» dinem naturalem humano generi convenientem conservari » jubentis perturbari vetantis ». En idea recta et adaequata

systematis theologici, quam sequenti sectione contra praescindentes philosophos demonstrabimus.

SECTIO SECUNDA

THESES DE ORIGINE NATURA ET PRINCIPIO CONSTITUTIVO LEGUM MORALIUM



CAPUT PRIMUM

DE NATURALI HOMINIS STATU.

Longum sane esset quotquot ridicula et absurda intemperantiores philosophi de naturae statu effinxerint commenta recensere. Verum omnes erroneae hac de re sententiae bifariam distingui possunt, scilicet 1. in opinionem quam Joannes Jacobus Rousseau Diogenis Cynici aliorumque veterum inhaerens vestigiis fusius exhornavit (1) 2. in opinionem Hobbii ceterorumque sensualistarum de quibus superius egimus sect. 1 c. 1 art. 1; altera enim sententia hominem natura sua *insocialem*, sibique sufficientem et tranquillum, neque ullam inter homines stabilis vitae consuetudinem et officiorum commercium ac dependentiam a natura constitutam, dicit; altera opinio ulterius procedit, et affirmat, statum naturalem hominum *antisocialem* esse, statum, inquam, mutuae diffidentiae inimicitiae ac belli; hominemque nasci homini hostem. In hoc autem ambo consentiunt, quod statum societatis (cujus nomine civilem tantummodo agnoscunt) hominum voluntate et pacto enatum dicunt, et naturali statui adscitum.

J. J. Rousseau, ut originem et fundamenta inaequali-

(1) Discours sur l'origine et les fondements de l'inegalité parmi les hommes.

tatis inter homines detegat, altius examen repetendum censuit, hominemque in sua primaeva et naturali conditione, in qua diu humanam speciem vixisse hariolatur, considerandum; hanc autem hominis originem et conditionem, non in mendacibus historicorum libris, sed in natura quae nunquam mentitur, se legisse affirmat. Tuae speciei vitam, ut ita dicam, tibi describo, o homo (ait vel a principio Rousseau) ex qualitatibus quas accepisti, quae quidem educatione, et habitibus depravari, nunqnam vero destrui potuerunt; *non enim in depravatis sed in his quae bene secundum naturam se habent, considerandum quid sit naturale, ut Aristoteles monet* (Pol. l. 1.). Dolebis, credo, in ea conditione tuam speciem perpetuo non remansisse, et fortasse tute ipse, si daretur, eo reverti velles. Praetermissis itaque veterum hypothesibns de hominis origine, qui etiam in physica corporis habitudine belluis aequalem, vel deteriorem faciunt, (1) considerat hominem donis supernaturalibus et facultatibus artificialibus spoliatum, eumque a natura editum in vitam quibusdam animantibus inferiorem viribus, quibusdam dexteritate et velocitate nequaquam parem; sed ad omnia superanda animantia, omninmque industrias imitandas exquisita corporis conformatione et sensuum sagacitate instructum

(1) Rousseau nonnullorum opinionem commemorat, qui putaverint hominem in mundi exordiis sylvestrium ferarum similem, longis et aduncis unguibus armatum, promissa barba horridum, setoso vellere protectum, quadrupedem et ut cetera animantia abjectum ad pastum, neque amplius tribus aut quatuor ulnis ejus orizontem patuisse, cujus exterior interiorque conformatio successu temporis immutata sit, cum sua membra ad novos usus exercuerit, et novis alimentis assueverit. Hasce opiniones missas facit, hominemque jam inde a principio ea ratione conformatum supponit, qua hodiedum cernitur, scilicet animal bipes et erectum, manibus ad usus vitae necessarios utens, et ad coeli universaeque naturae conspectum excitatum. Verum non defuere inter veteres (Aegyptios praesertim, ut a Diodoro Siculo l. 2 traditum memoriae est, et Epicureos, uti habetur ex Lucretio l. 5) nec non inter recentiores, qui universam naturam per spontaneum et successivum progressum sua phantasia sibi effinxerint, hominemque fungo similem forte e terra ortum putarint, qui per omnium vegetalium et animalium gradus sensim transierit, donec factus sit homo.

per longa temporis intervalla sine lingua, sine rationis usu, sine legibus, sine artibus, sine domicilio nullius hominis egentem, levioribus animi motibus affectum, paucis contentum, nemini invidentem, aut nocere satagentem beate et innocenter vitam duxisse. Dein nescio quo misero fatalique casu

. . . verba quibus voces sensusque notarent
Nominaque invenere (homines) . . .

Quare perfectibilitas, idest facultas illa semetipsum perficiendi fere in infinitum, in homine evoluta est, quae una ceteras quoque facultates successive excitavit exacuitque; hinc artes inventae, ratio exculta, dominia proprietatis instituta, agris termini impositi, discretae gentes, coacta societas, imperia constituta, justitiae honestatisque notiones efformatae. Sed quid boni humanum genus inde consecutum est? Fateri cogimur hanc hominis perfectibilitatem pluribus et extraneis causis forte concurrentibus evolutam, fontem esse omnium cupiditatum et malorum, quae humanam vitam miserrimam faciunt; eaque paullatim ex illa originaria conditione hominem detraxit, in qua vitam tranquillam innocentemque viveret, et speciem humanam deteriorem fecit, hominemque in societate coactum malum, noxium, miserumque reddidit. Haec in universo opere supradicto fusius disserit Rousseau.

Hobbesius autem hominem natura sua malum, crudelem et ferinum facit, qui per foedera pacis et civilem societatem cicuris ingenii, aequus bonusque fieri aliqua ex parte potuerit. Considerans enim populorum historias omnium facinorum genere refertas, hominisque animum intuens metu, invidia, ira et hujusmodi aliis affectibus exagitatum, en inquit, hominis natura, quae per civilia quidem imperia temperatur et comprimitur; attamen, data occasione, suam illico indolem prodit

» Naturam expellas furca, tamen usque recurrit »
Horat.

Itaque ante imperia status hominis naturalis bellum fuit omnium in omnes. Nec aliter fieri potuisse, hac abstracta et

sophistica ratiocinatione concludit (in cit. l. de cive et leviathane) *Omnes*, ait, *necessitate naturae non minori quam qua fertur lapis deorsum, ferri ad appetitionem ejus, quod sibi bonum et ad fugam ejus, quod sibi malum; maxime autem maximi malorum naturalium, quae est mors.* Ergo quisque ex natura jus habet ad hunc finem sibi procurandum: jus autem ad finem necessario comprehendit jus ad media eidem convenientia: ideoque jus praecavendi et arcendi omnia vitae incommoda, ac discrimina, iisque bonis utendi fruendique, quae vitae incolumitati, diuturnitati, jucunditatique opportuna videantur. Haec autem omnia telluris bona indiscriminatim esse possunt. Igitur patet, in naturae statu, scilicet ante civilis imperii institutionem, *omnes jus habuisse in omnia,* ideoque cuique licuisse quaevis sibi propria facere, ceteros prohibere, aliena rapere, eosque coercere, vel etiam de medio tollere, si collibuisset, et sua interesse putasset. At jura omnium in eadem et incommunicabilia bona necessario colliduntur; hinc naturalis status debet esse *bellum omnium in omnes,* et homo nascitur natura sua malus, aliisque inimicus. Ceterum cum in hoc statu, in quo omnes in alienam direptionem et caedem indesinenter incenduntur, vivere nequeant; hinc ipse amor propriae utilitatis monuit, quaerendam esse pacem, et per pacta circumscribendum singulorum jus in omnia, ut civilis societas certis legibus stabilis haberetur, in qua contracta civium jura sarcta tectaque forent. Haec Hobbius. Quibus expositis, adversus utramque opinionem, sequentem propositionem demonstrandam propono, scilicet.

« STATUS NATURALIS HOMINUM EST SOCIALIS »

Status cujusvis entis, ut ex ipsa vocabuli significatione patet, est ejus *permanens existendi ratio:* ideoque *status naturalis hominis* a philosophis intelligitur *ea parmanens conditio seu modus se habendi, in quo natura sua* idest *vi suarum*

facultatum homo positus est ad certum actionum genus obeundum. Hanc itaque permanentem conditionem et existendi modum hominis naturae proprium socialem esse affirmo. Ceterum cum *societas* duplici sensu intelligi possit vel *civilis*, quae est peculiaris quaedam et hypothetica societatis forma, in qua plurium familiarum consociatio habetur, certis legibus et institutis viventium sub supremo regimine; vel *naturalis*, quae generalis est et absoluta, et significat, hominem quemvis cum suis similibus, cujuscumque conditionis, vel regionis sint, etiam sine ullis praecedentibus pactionibus aut civilibus institutionibus, vel scriptis legibus ab ipsa natura conciliari inter se et consociari; hinc clare patet, nostrum hic non esse investigare, utrum ex natura etiam ad eum societatis gradum et formam quae civilis appellatur, homines destinentur: sed contra supradictos errores de generali et absoluta *societate* disserendum nobis esse. Quaerimus itaque in hac thesi, qui sit naturalis hominum status, idest ad quam existendi rationem et conditionem natura sua praeordinentur et determinentur, non autem quid vel casu quodam, aut libero voluntatis arbitrio evenerit, aut evenire possit; uno verbo thesis proposita est de *jure*, non de *facto*. Non quaeram, an unquam extiterint homines belluino more viventes, vel immanes, feri, et ad omnia facinora parati; sed utrum haec naturalis ejus destinatio sit, an potius aequa, humana, socialis. Ex facto autem historico jus non recte deducitur. Homo enim arbitrii libertate praeditus potest ab officio declinare, et persaepe id turpiter deserit. Homines ab Hobbesio, Macchiavello, vel Tacito descripti, si historice accipiantur, licet stylo nimis acri et inviso repraesententur; aliquam tamen veritatem praeseferunt: si haec naturalis hominum conditio dicatur, nihil absurdius in philosophia asseri potest. Quid igitur hominis natura exigat, non quid humana voluntas contra naturae ordinationem efficere possit, considerare debemus.

Eja igitur naturam hominis ejusque conditionem consi-

deremus. Juvat hic primum animadvertere, quantopere hallucinentur ii philosophi, qui vel de universae naturae, vel de hominis origine disserentes ad lubidinem, per imaginarias hypotheses naturam sibi effingunt per spontaneum et successivum progressum: ultimum vero hominis gradum, in quo lingua, ratione, artibus, et moribus socialiter vivat, non a natura, sed a voluntate, et ejus artificio repetunt. Etenim 1 hypotheses illae omnium gentium historiis oppositae sunt, in quibus vel origo humani generis, aut cujusdam populi describitur, et nonnisi a duobus individuis diversi sexus, qui essentialibus physicis, et intellectualibus facultatibus fuerint instructi a vero vel ab alio ficto numine, ea fuisse traditur: vel vetustissimorum populorum referunt historiam, eosque cum suis moribus, institutis, aut etiam legibus et civili regimine describunt; nec ulla unquam vel levis suspicio habetur de antecedenti brutali et ferina conditione. Nihil autem dicam de ridicula prorsus et absurda Aegyptiorum, Epicureorum etc. opinione, qui etiam a materia bruta hominis exordia sumunt, et per ceteros entium naturae gradus deducunt. Ea generalibus et constantibus physicae legibus adversatur. Licet enim in admirabili naturae systemate conspiciamus quamdam veluti catenam entium et seriem, quae ab infimo perfectionis gradu successive ascendit usque ad hominem, sintque quidam annuli, qui mineralia cum vegetalibus, vegetalia cum animantibus brutis, bruta animalia cum homine nectant; attamen haec semper firma singula quaeque in suo statu videmus, nec unquam tot saeculorum observatione compertum est, minerale quoddam in plantam, vel plantam in animal, vel animal in hominem conversum.

Sed esto, concedatur Rousseau et Hobbio ferina hominis origo, aliis quoque dentur absurdiores hypotheses. Numquid inde philosophice concludetur naturalem hominum statum solitarium, helluinum, aut mutuae inimicitiae et discordiae esse? Nihil profecto minus. Quanam igitur ratione inquies, naturalis hominis conditio determinari debet? Ea nem-

pe philosophandi ratione, qua ceterorum entium status et specifica conditio determinatur. Philosophus naturam, eamque per se jam efformatam considerare debet; si ejusdem scientiam et non possibilium et aereorum mundorum notionem adipisci studeat. Nulla vis in natura iners aut suspensa haeret; sed omnes suum effectum produnt. Tunc cognitionem philosophicam adipiscimur alicujus plantae, aut animalis, aut entis cujusvis, cum, inspecto et cognito completo virium ejusdem effectu et evolutione, detegimus characteristicas et specificas ejus proprietates, quae a ceteris naturae entibus illud distinguunt, ac videmus quem gradum ac locum teneat in mirabili serie entium naturalium. Ita Lynnaeus singulas vegetalium et animalium familias in praecellenti suo opere discrevit, et suum cuique locum et naturam posuit. Nec alia profecto ratione entium naturae conditio et *status* determinari unquam potest. Si enim plantam in suo semine aut in primo incremento considero, nondum illius specificam conditionem novi; sed cum illum perfectionis gradum attigerit, in quo flores et fructus singulis annis certa periodo producit, en inquam naturalis status hujus plantae: atque ita de ceteris. Hoc igitur eodem criterio hominis conditio et status, in quo natura sua, idest suis vìribus naturalibus constituitur, determinari tantummodo potest. Jam vero omnes in quavis orbis parte homines nascantur, nisi aliquis obex consuetum naturalium virium progressum intercipiat et abscindat, semper eo perveniunt, ut quadam lingua, ratione, artibus, moribus, ac mutuis officiis utantur, et inter se consocientur. Quocumque in loco, aetate, conditione hominem considero, semper has itidem facultates deprehendo, semper in societate positum, et haec eadem munia obire conspicio, quae eum a reliquis naturae entibus distinguunt, et principem constituunt. Ergo naturalis hominum status, quo scilicet naturales eorum facultates tendunt, perveniunt, et in quo homines constituuntur, est rationalis, moralis, uno verbo socialis. Haec philosophica consideratio de universalibus et constantibus effectibus humanarum virium, qui omnes sociales

sunt et naturalem hominis conditionem socialem faciunt, sufficiens esset ad thesis propositae demonstrationem. Verum ipsas proprias et characteristicas hominis vires penitus et in se ipsis consideremus; ex quo manifestum erit, societatis statum necessarium esse, ut homo sit homo; ideoque qui negat hominem natura sua socialem esse, hominem ipsum destruit.

Et re quidem vera, esse in nobis vim reflectendi, eloquendi, ratiocinandi certo conscientiae testimonio sentimus, et in ceteris quoque hominibus eamdem deprehendimus. Haec profecto naturalia in homine sunt, et sophistica prorsus genevensis philosophi censenda sunt quae disserit de loquendi ac ratiocinandi facultate, quam non naturalem, sed artificialem dicit. Ait enim raticinandi facultatem haberi non posse sine ideis generalibus, quas nonnisi ope verborum acquirimus, nec mens eas percipit nisi per propositiones: jam vero vocabula sunt signa humanae institutionis et conventionis, quorum inventio et artificium multorum saeculorum tentamina, et fortuitum plurium et extranearum causarum concursum necessario supponunt. Sublatis itaque artificialibus, homo natura sua remanet animal sine lingua et sine ratione; en igitur naturalis conditio. Putida inquam, et sophistica ratiocinatio: confundit enim facultatem loquendi cum modo et norma sermonis. Sonus quidem, qualitas, et forma vocabulorum ex arbitrio et usu sunt, et

Ut sylvae foliis pronos mutantur in annos
Multa renascentur quae jam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus
Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.

Facultas autem instituendi, vel habendi quaedam signa idearum et vocabula, quorum ope ideas inter se homo conferat, ratiocinetur, aliisque suam sententiam et affectus manifestet, insita, naturalis, et characteristica in homine est (1). Itaque

(1) Opera naturale è ch'uom favella
Ma così, o così, natura lascia
Poi fare a voi secondo che v'abbella.
Dante Parad. Can. 26.

si conditio propria et naturalis hominum ea est, ut sit *animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii;* ergo naturalis ejus status est socialis. Exploratum enim in philosophia rationali, vel nullum vel minimum rationis et reflexionis usum dari in homine posse sine idearum signis seu *lingua* Ut autem lingua instituatur, vel si tradita sit, ut servetur, communicetur, et perficiatur, necessaria est societas inter homines firma. Lingua enim ut quaelibet alia conventionis signa primario et immediate sunt medium necessarium, quo homines suas ideas, et consilia ad invicem communicent; quam loquendi necessitatem prorsus ignoraret vir solitarius, qui si longo temporis progressu quoddam idearum signum sibi institueret (quod quidem vel neminem prorsus, vel unum aut alterum in universo humano genere effecisse puto) inefficax prorsus esset ad plenum rationis usum, multo minus autem ad mentis humanae nobilitatem constituendam. Cum igitur a natura homo ad eum statum factus sit, ubi princeps animalium constituatur per rectum rationis usum, cumque hoc nonnisi in statu societatis esse possit; sequitur ex primaria et characteristica hominum proprietate manifestum esse, naturalem eorumdem statum esse socialem.

At enim subdit Rousseau, linguae institutio et praeclara mentis humanae perfectio ac inducta societas, uno verbo hominis *perfectibilitas* excitata et exculta omnium malorum humanae vitae origo censenda est. Auctis enim cognitionibus, omnium generum cupiditates et passiones enatae sunt; deperdita naturalis libertas, corpus debile et fractum effectum. Sin autem natura ad vitae hujus felicitatem et innocentiam nos condidit, et si haec ex animi tranquillitate et corporis sanitate habetur, *certo affirmare ausim reflexionem esse statum contra naturam, et hominem qui meditatur esse animal depravatum.*

Tota haec objectio ad hoc reducitur, scilicet pristina hominis conditio belluina et sylvestris multo melior erat

quoad animi tranquillitatem et corporis valetudinem, quam praesens socialis conditio: unde Genevensis concludit, naturalem ejus statum in vita solitaria, belluina, ac sylvestri ponendum esse. Quae ratiocinatio pluribus erroribus notanda est. Praeterquam quod enim falso supponit humanam speciem in ea vitae conditione ab initio fuisse, in eaque diu permansisse, quod tamen nonnisi in ejus phantasia realitatem habuit; dico autem, dato et non concesso, conditionem belluarum similem suaviorem in hac vita esse prae socialis hominis conditione; non inde tamen sequi, statum a naturae Auctore homini praestitutum belluinum fuisse; hunc autem rationalem, et socialem contra vel praeter naturae ordinationem esse. Status enim naturalis vel hominis, vel cujuscumque animantium speciei, non recte determinatur ex gradu majori voluptatis, quae in una vel altera conditione invenitur; sed, ut initio monui, ex diversis naturalibus viribus cuique animalium speciei propriis et inditis, quae diversam vitae rationem et statum inducunt. Cum autem facultates naturales hominis tales sint, quae socialem statum necessario exigant; etiamsi certum esset terrenam belluarum voluptatem potiorem esse ea, quam in hac vita homo rationalis et socialis consequi possit, firmum tamen esset, hominem non ad illam belluinam conditionem, verum ad hunc socialem statum natura sua fuisse praeordinatum (1). Ceterum dico miserrimum esse hominem qui facultatibus naturalibus abutens

(1) Quoad opinionem J. J. Rousseau, qua putat hominem solitariam et sylvestrem vitam degentem minimis et placidioribus passionibus affici; quarum numerus, vis, et impetus eo magis augeatur, quo major fiat cognitionum progressus et copia, consulendus Antonius Genuensis in docto et amoenissimo opere cui titulus, *lettere Accademiche* ac praesertim epistolis 1. 4. 13. Breviter dicam vim affectuum nostrorum potiusquam a cognitionum qualitate et gradu, a physica sensibilitate, *suscept.bilitate* ac temperamento repetendam esse: rationem temperare, vel auferre fallaces et noxias passiones, excitare et regere veras et utiles, quae hominem alacrem et majorem ad rem gerendam faciunt. Porro in actione recte a ratione conformata hominis vitam et felicitatem esse.

rerum et finium ordinem pervertit, et nonnisi in hac vita summum bonum quaerit, quique in societate humanae dignitatis oblitus comparetur *jumentis et similis fiat illis.* De hoc merito dici posset, melius erat illi si planta aut bellua fuisset, melius erat illi si natus non esset. Id autem non demonstrat, statum rationalem et socialem per se malum esse. Imo si regulae humanae naturae propriae serventur, unica via est ad veram et summam felicitatem hominis propriam. Quid vero dicemus, si constet societatis statum peropportunum esse ad optimam hujus vitae rationem habendam, atque etiam omnino necessarium, cum ad singulorum vitam tuendam, tum multo magis ad universi humani generis conservationem? Concludendum tunc erit, non solum falsam undequaque et imaginariam Genevensis aliorumque hypothesim; sed aliud quoque perillustre argumentum ad thesis propositae demonstrationem inde enasci. Quis enim inficiari possit eum statum a naturae Auctore hominibus praeordinatum fuisse, in quo tantummodo et singuli homines et universa species conservetur ac prospere se habeat? Videamus igitur an id vere de sociali statu censeri debeat.

Mitto quod omnes, vel fere omnes animantium species, quae prae hominibus a natura armata sunt et praecellenti physico instinctu munita, quadam societate indigent, ut nascantur et parvuli alantur et ab incursu praepotentium animalium defendantur: in toto autem vitae cursu suorum similium affectionem et spontaneam commiserationem declarant, unaque vivere magnopere student: quae vero gregabilia dicuntur ut apes, formicae, castores etc. perfectam reipublicae formam praeseferunt. Mitto quod sylvestres populi, qui in infimo societatis et cognitionum gradu sunt, miserandum in modum vitam traducunt, quorum pauci adolescunt, nullus fere ad senilem aetatem pervenit, et in brevi vitae curriculo summa plerumque ciborum caritate et inter ferarum incursus conflictantur, vel solis aestu, vel glacie aliisque teterrimis malis vexantur. Haec, inquam, praetermitto

hominumque naturam considero. Hominem imbecillitas cingit, nudus, fragilis, infirmus, prudentia, et armis destitutus nascitur, innumerisque malis circumseptus, quae ejus vitae insidiantur. Longus sane foret eorum catalogus. Ad haec potiora capita reducit Antonius Genuensis. Alia sunt ab *insitis causis* et naturalibus indigentiis, utpote famis, sitis, infantia, aegrotationes, senectus, multaque desideria et passiones; alia nobis imminent a causis *universalibus* et *fortuitis*, idest a mundo physico, velut terraemotus, fulmina, caritas, pestis, incendia et alia permulta; alia ab *ignorantia*, vel *errore*, a falsis rerum imaginibus, a tumultu et impetu passionum. Alia denique ex ingeniorum varietate, quae inter se colliduntur, et ex hominum malitia, scilicet *a mundo morali*. Quis quaeso melius se habeat, ille qui temere et fortuito, omnique vitae praesidio carens in tot tantisque periculis segregem vitam duceret, an qui prudenter et socialiter? Procul dubio qui prudentia, arte, ideoque remediis instructus sit ad ea mala praevidenda, vitanda, arcenda, comprimenda, quique mutuis juvetur auxiliis; secus enim certe homines perirent, aut si unus et alter forte ex tot periculis vitam eriperet, aegerrime eam traduceret. Itaque omnes artes, omnes scientiae, quae in societate tantum esse possunt, a necessitate et opportunitate vitam muniendi et bene beateque agendi natae sunt. Hinc artium inventores et scientiarum cultores, quique populos primitus erudierunt, tamquam Dii habiti sunt, deque humano genere optime meriti. Atque hic summam Auctoris naturae sapientiam licet animadvertere. In societate enim generis humani mirabilem illam legem conservationis et reparationis videmus, quae in universa natura et in singulis ejus partibus attente consideranti apparet. Sicut enim e. g. singula corporis humani membra, imo minutissimae quaeque fibrae coordinantur ad totius corporis incolumitatem; minimam tamen actionem faciunt in bonum corporis; attamen reliquae corporis partes tamquam in centrum in eas fibras influunt, eas conservant, reparant, sub-

stentant, alunt : eademque videmus in universa natura : eadem in humani generis societate. Quisque individuus minimum agit relate ad bonum communitatis, ex. gr. medicus aegrotorum curam suscipit, interim ab omnibus suae societatis partibus et a ceterorum populorum commercio permulta fiunt, quae omnium bonorum commodorumque genera, quibus medicus in cibis, vestibus, domo, securitate indigeat aut exoptet, cumulatissime suppeditant. Incomprehensibilia et innumera sunt commoda quae ex generali commercio singulis in societate utiliter viventibus proveniunt. « At societatem » tolle, et unitatem generis humani qua vita sustentatur » scindes. (Seneca l. 4 de Benef. cap. 18) ». Itaque cum homo ad eum statum a natura preordinetur, in quo sit animal rationale, scilicet animalem vitam servet et humana species prospere se habeat; nec non in sua maxima dignitate constituatur per rationis usum et culturam; cumque haec nonnisi in societate stabili dari possint : sequitur naturalem hominis statum esse socialem.

Thesis itaque nostra demonstrata est cum ex facto generali et constanti, tum ex ratiocinio, quod consideratis primariis et characteristicis hominis facultatibus declarat, fieri aliter non posse ut sine societate species humana existat, et in suum gradum perveniat, in eoque perseveret. Verum haec omnia confirmari abunde possunt ex facultatibus secundariis, quae homini tributae sunt, tamquam instrumenta propria ejusdem naturae, et *perfectibilitatis*. Cum enim *Deus et natura nihil frustra faciat*, ita ut si in qualibet entium specie quasdam facultates deprehendamus, quae certos effectus, certum usum et finem indicent, merito inferri debeat, ea ad illam certam agendi vel existendi rationem natura sua destinari, utpote aves ad volandum, pisces ad natandum etc. similiter dicendum de homine, si in eo naturalia quaedam instrumenta, et facultates videmus, quae in societate maximum usum habeant, extra societatem inutilia forent. Jam vero praetermissis ceteris, duo tantum in homine considero, sci-

licet manus, et sensum moralem. In manuum autem conformatione atque usu examinando non equidem anatomici, aut physiologi scrinia compilabo: ab effectibus rem considero. Manus adeo affabre conditae sunt, ut non solum ad omnes mechanicas perfectiores, sed ad liberales etiam atque optimas effingendi, sculpendi, et pingendi artes aptissimae sint. At si hominis conditio sylvestris, solitaria, et ab omni cultu remota foret, cur in tam exquisitam fabricam frustra operam natura perdidisset?

Quid vero dicam de praecellenti illa vi, quam in hominum animis beneficentissimus Naturae Auctor ingeneravit, de sensu, inquam, morali, ex quo generosi, et omnino gratuiti animi motus excitantur, qui immediate et directe unam aliorum utilitatem intuentur et curant? Quis adeo ferus est, ut in se ipse non sentiat? Enim vero ea nos natura conditi sumus, ut in aliorum periculis, infortuniis, et calamitatibus indifferentes nullo modo esse possimus, sed praepotenti naturae impulsu sponte trahimur ad commiserationem, beneficentiam, et amicitiam: idque non ulla nostri commodi, et utilitatis ratione illecti facimus, sed quia in aliorum malis levandis, et tollendis generoso animi sensu movemur, aliosque homines aeque ac nos felices esse exoptamus. Qua de re vel ipse Rousseau cum in aliis operibus, tum (quod sane mireris) in hoc ipso opere *De origine inaequalitatis inter homines*, in quo totus est, ut insocialem hominem faciat, praeclara multa disserit, *naturalemque pietatem* summopere extollit, quae tot modis ad aliorum consociationem, et ad humanitatis ac beneficentiae officia adversus alios exhibenda vehementer nos allicit et quodammodo cogit. (Ibi pa. I. mihi pag. 93 ec.) Jam vero sensus iste moralis, et generosi animi motus, qui hominem conciliant homini, tantoque usui humano generi sunt, extra societatem inanes prorsus forent, omnique effectu destituti. Isti ergo a naturae Auctore omnium hominum animis inditi naturalem hominis conditionem socialem esse aperte confirmant.

At enim ait Hobbesius; sunt in hominibus, vel a teneris annis, metus, invidia, odium, ulciscendi libido, uno verbo affectus *antisociales;* hinc omnium gentium historiae fraudes, violentias, direptiones, caedes et assidua bella referunt: Ferus igitur natura sua homo dicendus ceterisque infestus, cujus naturalis conditio sit bellum. Verum haec objectio nullimode infirmat primaria thesis propositae argumenta, quae in essentialibus hominis characteribus innituntur; qualia sunt vita animalis et rationalis. Sed ne factum quidem philosophicum; licet enim multa immania, iniqua, crudelia omni aetate patrata videamus, attamen omnes, semper, in quovis mundi angulo vitam socialem servasse novimus. Et qui quaedam societatis jura violant, cetera custodiunt; atque ipsa facinora, iniquas alieni occupationes, crudelia facta, injusta bella, praetextu tamen juris saepe frivolo colorare student, ne justam omnium abominationem incurrant. Igitur si aliquam vim habeat objectio isthaec de affectibus, ut ait *antisocialibus*, aliquantulum infirmaret ultimum argumentum, quod ad confirmationem thesis afferebam ex affectionibus quae nos ad societatem impellunt. Ceterum contendo, nullam vim ne huic quidem argumento per haec imminui, sed si recte considerentur, eadem ipsa, quae hic opponuntur, socialem nostram conditionem magis magisque probare. Et re quidem vera concedo equidem esse aliquando in hominibus affectus qui merito appellari possint *antisociales*, idest odium *inimicitiae*; nunquam vero ex natura, sed ex *libertatis abusu* et *habitu.* Etenim affectus illos qui nos ad societatem quaerendam et amandam inducunt, et ad pietatem et beneficentiam adversus alios nos vehementissime excitant, in omnibus quidem et singulis deprehendimus: non item vero dicas de iis qui odium inimicitiae praeseferunt. Non enim omnes fraudulentos, crudeles, iniquos videmus. Merito igitur affirmare possumus, eos inimicitiae affectus non ex natura, sed ex libertatis abusu naturae insertos. Sin autem rem penitus consideremus, nihil hujusmodi feritatis in natura reperiemus. In

hominis natura sensibilitatem esse novimus, hinc appetitionem erga res gratas, aversionemque ab ingratis, utrique affectus per se boni et conservationi cum individui, tum speciei humanae pernecessarii. Sicut enim appetitus erga bona datus est nobis, ut sponte quaeramus quae nostrae conservationi prosint; verum caute prudenterque nos gerere debemus, ut vera ab apparentibus bonis discernamus; prae ceteris autem bonis, hominum societatem quaerendam, retinendamque esse novimus, unde maximae nobis utilitates, imo ea quae prorsus necessaria sunt, abunde proveniunt: ita haec naturalis et essentialis repugnantia ab ingratis rebus, haec, inquam, *irritabilitas* nos admonet, ut caveamus ab objectis, quae nobis noceant sive inertia sint sive animata sive ratione utentia. Haec igitur irritabilitas est lex conservationis animantibus omnibus tributa, sicut *resistentia* est lex, quae materiae partes conservat. Homo vero cum intelligat homines sibi et prodesse et obesse plurimum posse, eodem tempore intelligit, jus sibi a natura datum esse, quo ceteros sibi amicos conciliaret, et caveret ne quid res privata aut publica ab iniquis detrimenti capiat; scilicet jus esse hominibus tributum (ea ratione et ordine exercendum, quem hic non vacat exponere) *defensionis* etiam *violentae*, *compensationis*, et *justae vindictae*, quae omnino necessaria sunt ad societatis perturbatores comprimendos, in officio continendos, aut removendos ut caeteri tranquille et socialiter vivere possint. Utraque igitur affectuum species tum ii qui *sympatici* dicuntur, tum *repulsivi*, si non in cortice et in scabie per hominum malitiam naturae humanae superadditam; sed si in ipsa natura et in radice inspiciantur, et recta ratione gubernentur, ad societatem humanam pacifice constituendam una conveniunt, sicut in systemate planetario vires *centripeta* et *centrifuga*, quamvis diversae indolis ac directionis, mirabiliter conspirant ad systema illud conservandum.

Sophistice tandem instat Hobbesius, non ex habitu inquiens, sed ab ipsa natura propensiones istas antisociales deri-

vari, scilicet ex jure omnium in omnia, de quo in expositione hobbesiani systematis diximus. Verum haec objectio multis capitibus absurda et falsa demonstratur; praeterquam quod enim insipientem Deum facit, qui homines ad felicitatem condens, eis jus tribuerit, quod per se necessario ad homines adversus homines armandos inducit, scilicet ad mutuam destructionem et infelicitatem; quod naturae vitium cogatur homo per suam prudentiam aliquantulum temperare, et emendare per foedera pacis et civiles leges; non considerat vero Hobbesius absurdam hanc hominum confoederationem per pacta et leges positivas nullam vim habere posse, nisi supponatur legis naturalis existentia, quae generalem inter homines societatem constituat, de quo et in sequenti dissertatione et alibi fusius agam. His inquam absurdis praetermissis, directe respondeo sophismati hobbesiano; quod in verborum aequivocatione positum est. Ait ipse: Deus nobis amorem indidit, quo necessario meliorem nostram conditionem quaeramus; ergo jus ad media dedit; media autem conservationis et perfectionis sunt quaelibet telluris bona; ergo jus generale nobis est in haec omnia quae prodesse possint.

Cui respondeo jus *concurrendi* ut ex omnibus telluris bonis eam obtineamus partem, quae ad bene beateque vivendum sufficiens sit, et ad ea concurrendi sine aliorum injuria, id ultro libenterque concedimus. Jus autem omnia indiscriminatim sibi adscribendi telluris bona, aliosque ab eorum acquisitione excludendi, vel si jam possederint exturbandi; falsum omnino est. Jus enim non est mera potestas physica, sed potestas rationi conformis; et cuilibet juri, quod alter possideat, necessario respondet in altero *obligatio* non obsistendi, nec laedendi. Quapropter nihil absurdius eo quod Hobbesius effinxit jure omnium in omnia, cum unius jus alterius auferat, ac propterea haec aequalia et opposita jura in nihilum prorsus evanescerent.

Itaque quidquid in homine est, ratio, vita, externa for-

ma, insiti animi motus, omnia inquam aperte demonstrant hominem non sibi soli nasci, sed natura homini consociatum, et amicum constitutum, et ut ajunt Stoici « quae in terris » gignuntur ad usum hominum omnia creari; homines au- » tem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis » alii prodesse possent ». Ac sicut inspecta in ossibus humanis varia forma et proportione, ea ad humani corporis machinam extruendam facta esse novimus: ita profecto mutua hominum indigentia, naturae similitudo, essentialisque inter eos depeudentia cuique demonstrat, statum a naturae Auctore hominibus praestitutum, esse socialem.

CAPUT II.

DE NATURALIBUS ET IMMUTABILIBUS JUSTI ET HONESTI NOTIONIBUS

In sensualistarum systemate duo praecipui et inter se connexi errores continentur, alter de naturali hominum statu, de quo capite superiore egimus, alter de origine justi et honesti, quam non a natura, sed ab hominum voluntate repetunt. Haec disquisitio nunc absolvenda est. Historiam et indolem universi hujusce systematis enarravimus sec. I. c. 1 art. 1. Quod ad rem praesentem penitus attinet paucis comprehendam. Omnes hominis actus natura sua indifferentes; quidquid lubet et naturalibus viribus fieri possit, licere: generalia hominis ad hominem, gentis ad gentem officia nulla prorsus esse: civilibus societatibus constitutis, pactionibus inter homines initis, civilibusque legibus sancitis, tum primum justi et honesti notionem enatam; tum primum virtutis et vitii nomina inventa; in natura nihil boni esse, nisi sensuum voluptatem; nihil mali, nisi dolorem.

Hujuscemodi philosophi qui ita sentiunt (si hoc nomine appellandi sunt, quin potius dicam philosophiae hostes)

omnes animi humani facultates ad *sensibilitatem physicam* redigere student. Homo, ajunt, a sensibus externis sentit impressiones gratas vel ingratas. Effectus immediatus hujus physicae sensibilitatis est aversio et constans fuga eorum quibus dolore afficeremur, et studiosa appetitio bonorum physicorum. Caeterum haec physica oblectatio aut dolor duplicis generis est; *actualis* et *praevisus*: Praevidetur e. g. mors atrox mihi certo subeunda, afficior animi maximo dolore; scilicet cum praevidentia sit effectus memoriae et phantasiae, hoc efficit memoria et phantasia, ut reprehesentans ad verum omnes circumstantias futuri supplicii contrahat et afficiat organa sensoria ea ratione qua majori vi et augustia ex reali supplicio afficiendus sim. Unde concludi debet etiam eos, qui animi dolores aut voluptates dicuntur, natura sua non differre ab iis sensationibus quas ab actuali objectorum externorum actione experimur. Leges civiles et pacta inventa sunt tamquam regulae, quas experientia docuit opportuniores ad incommoda et dolores maximos vitandos, et ad vitae membrorumque conservationem et voluptatem procurandam (1): ideoque civilium officiorum cura nobis grata ex qua praevidemus tot tantaque bona nobis suppeditari; legum et pactorum violatio acerba; unde poenas legitimas et infamiam nobis imminere videamus, magno cum detrimento fortunarum et doloribus; quae tamen si impune violari possint, sine ulla animi aegritudine, et cruciatu violantur. Quare regulae justi et honesti seu virtus (quae est habitus actionum uniuscujusque civitatis communi bono accomodatus, quod tamen cum singulorum civium privata physica utilitate necessario conveniat) variabiles sunt, quemadmodum utilitatis ratio in singulis populis et civibus multimode immutari potest. Quaeque Romae justa et honesta, eadem Athenis injusta et inhonesta esse possunt.

(1) Hobbesius l. 1 de Cive c. 1 « dictamen rectae rationis circa ea » quae agenda vel omittenda sunt ad vitae membrorumque conserva- » tionem quantum fieri potest diuturnam ».

Ut horum omnium errorum radicem evellamus, sequentem propositionem demonstrandam proponimus, quae uno tempore celerorum falsitatem deteget.

JUSTUM ET INJUSTUM HONESTUM AC TURPE,
NON HOMINUM OPINIONE AUT PLACITO,
SED NATURA DIFFERUNT.

Praemoneudum ceuseo, hic nos directe non inquirere utrum regulae justitiae et honestatis constituant legem proprie dictam, in cujus notione esseutialiter comprehendatur notio omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: haec alia quaestio capite sequenti contra *praescindentes* philosophos dedita opera pertractanda; nunc hoc unum demonstrare intendimus, regulas justi et honesti extare in natura independenter ab hominum arbitrio, easque constituere ordinem moralem diversum omnino ab ordine bonorum et malorum physicorum.

Duplici argumento proposita thesis invicte demonstratur; 1 ex intimi sensus testimonio, seu ex facto immediato nostrae conscientiae. 2 ex ratiocinio outologico.

Consulamus itaque primum sensus intimi factum. Actus humanitatis, justitiae, honestatis, rectos et bonos sentio, ac laude praemioque dignos puto; quae autem sunt his contraria, in vitio esse; inhonesta, mala, vituperanda, ac puniendaa duco. Atque hanc virtutum vitiorumque indolem etiam sine ullo ratiocinio sentio per se talem esse; nec ad hominis libitum mutari posse, aut a principis voluntate et decreto pendere: sed primi generis actus immutabiliter rectos et amabiles, alios vero semper inordinatos et malos, eadem prorsus intuitiva evidentia et certitudine, qua sphaeram a pyramide differre sentio, vel melos quo suaviter afficior ex citharae sono aut lusciuii cantu, et ingratam sensationem qua ex asperis et dissonantibus vocibus angor.

Equidem optime sentio differentiam earum actionum, quae a principis edicto immutari possunt, et earum quae hone-

stae vel turpes natura sua sunt, etiamsi nulla civili lege aut praecipiantur, aut vetentur: sentio, inquam, differentiam inter praecepta mere *positiva* et *naturalia*: e. g. arma ferre, decem aut viginti homines in eumdem locum eodemque tempore convenire, typis sua scripta sine ulla magistratuum venia imprimere, et alia hujusmodi per se licita et indifferentia habemus. At si per positivas leges vetentur, non amplius licere dicimus; quae tamen si absque ullo legis contemptu aut aliorum injuria secreto fecerimus, nullo conscientiae cruciatu angimur; multoque magis haec omnia hilari animo facimus, si venia et privilegium nobis concedatur, vel si lex illa positiva aut principis decreto, aut desuetudine cesset. At quis unquam sibi persuadere poterit, iniquas et crudeles tyrannorum leges posse virtutum, vitiorumque indolem immutare? Fidem, sinceritatem, justitiam, pietatem fieri posse crimina: injustitiam vero, parricidium, fraudem, honestatis laudem consequi aliquando posse? Sensus moralis, seu conscientiae testimonium etiam in quovis flagitiosissimo homine repugnat. Igitur immediata et intuitiva evidentia sentimus nativam virtutis honestatem, et insitam vitii turpitudinem. Praeterea si nihil boni in natura est, nisi sensuum voluptas, nihil mali nisi dolor physicus: sequeretur, commutata utilitatis ratione, virtutis pulchritudinem et honestatem deficere debere, ac vitium suam turpitudinem amittere. Atqui eadem admiratione et amore afficior erga viros liberales justos honestos, sive meae utilitati procurandae studeant, sive nulli meo privato commodo prosint: Odi maleficos, fraudulentos, crudeles, etiamsi alteri tantum noceant et mihi studiosi esse velint. « Non amamus tantum bonos » quia nobis benefici; sed quia boni sunt. Neque odio ha- » bemus malos tantummodo, quia nobis nocent; sed etiam » quia mali. Neque solum nostram, verum etiam aliorum » felicitatem exoptamus ». (Rousseau)

Atque adeo distinctum bonum morale a bono physico, ita vitium a dolore differre sentimus, et per se ipsam bo-

nam et honestam virtutem, vitium autem per se malum ac turpe, ut etiam adversante nostra utilitate, virtus sua luce fulgeat, et quo magis in dolore in laboribus et in adversis exerceatur, eo magis pulchrior et laudabilior sit. Vitium vero, licet publicam animadversionem effugiat, imo permulta quoque hujus vitae commoda, delicias, dignitates et si velis, regiam quoque auctoritatem comparet, tamen ita perversae naturae est « ut scelerum in homine atque impietatum nulla » expiatio sit. Itaque poenas luunt non tam judiciis (huma- » nis) . . . . quam conscientia, ut eos agitent insectentur- » que furiae, non ardentibus taedis, ut in fabulis ; sed angore » conscientiae fraudisque cruciatu ». (Cic. de leg.).

Atque hic animadvertere est, nos sensus intimi testimonio duas distinctas propensiones, et tamquam voces sentire, alteram quae ad officia et virtutem impellit, alteram quae ad nostram utilitatem allicit. Illa est vox imperans, absoluta, immutabilis : esto justus, esto fidelis, honestus ; haec vero conditionata est : non imperat, sed invitat, et allicit ; *Si velis, si possis* tuae utilitati et commodo consulas. Semper autem justitiae honestatisque imperium appetitus erga bona physica regit, limitibus circumscribit et coercet, ne nimiae voluptati indulgeamus, ne in usu bonorum aliis noceamus, semperque conscientiae dictamen bona quaelibet physica honestati justitiaeque subjecta facit. Justa et honesta etiam cum tuae sensibilitatis, et privatae utilitatis jactura tibi servanda sunt, cave ne unquam tuum commodum cum virtutis detrimento facias, si justitia, pietas, honestas sine fortunarum omnium detrimento, vitaeque ipsius periculo servari nequeat, omnia contemnito. En absolutum et regium conscientiae dictamen, quod e diametro opponitur sensuum illecebris, privatae utilitati, ac physico bono. Igitur ex testimonio conscientiae intuitive sentio justum et injustum honestum ac turpe non hominum opinione aut placito, sed natura differre, eaque constituere ordinem moralem diversum omnino ab ordine bonorum et malorum physicorum. Et ut omnia bre-

vius complectar dico : est in hominis natura moralis sensus ; ergo bonum et malum morale natura differunt.

At enim, dicunt adversarii ; sensus moralis non est ingenitus et primitivus ; sed per educationem , habitum , et idearum associationem acquisitus ; ergo differentiae illae morales inter justum et injustum, ec. naturales non sunt.

Ad praecipuam hanc sensualistarum objectionem funditus evellendam in primis animadverto, sensus moralis nomine hac in quaestione ab adversariis intelligi non posse ipsam *facultatem* sentiendi ordinem moralem : facultates enim ab homine creari nullimode possunt ; sed quas a natura accepit, eas tantummodo excolere, et vel in bonam, vel in malam partem conformare. Tota igitur quaestio in hoc versatur, utrum nempe ea conformatio, et dispositio sensus moralis , qua homo perfectum rationis usum adeptus justa et injusta sentit , ingenerata ab ipsa natura sit, an potius per repetitos actus paulatim acquisita. Sensualistae contendunt acquisitam eam esse. Nos autem ad aequivocationem, et ad eorum argumenti vim prorsus tollendam , cum distinctione respondemus. Si dicerent ipsi conformationem illam acquisitam *per associationes idearum necessarias hominis naturae* ; ultro id concederemus, vel potius *permitteremus* : sin autem dicant (sicut revera autumant) acquisitam eam esse *per arbitrariam et variabilem institutionem* ; tunc eis hoc omnino negamus. Etenim quoad primam distinctionis partem hoc animadvertendum censeo , quod inquirere , utrum haec sensus moralis habitudo et conformatio primitiva sit, et ab ipsa natura nobis data, an potius per repetitionem actuum, idearumque associationem acquisita, ad ideologiam pertinet : idque a nostra quaestione alienum prorsus est. Exemplo rem declaro. Disputant philosophi, utrum habitudo et conformatio facultatis *visivae*, qua varias colorum species, corporum figuras, distantias, ceteraque phaenomena optica ictu oculi distinguimus, ab ipsa natura repetenda sit, an potius ab educatione et institutione. Qua in re verior et post Condillacum ab

omnibus passim recepta sententia ea est, quae docet, hanc videndi habitudinem tactus auxilio ab homine paulatim acquiri: acquiri autem per sensationum et perceptionum associationes rerum naturae necessarias, scilicet naturae oculorum, lucis, et objectorum externorum. Simili modo philosophi ideologistae inquirunt de sensus moralis conformatione, sit nec ne a natura, an ab educatione. Ceterum si altera haec opinio magis placeat, sicut et mihi verisimilior videtur, nihil tamen inde contra propositam thesim deduceretur. Quemadmodum enim absurde et inepte quis diceret, colorum varietatem, corporum figuras, distantias et cetera hujusmodi non esse naturalia, sed juxta diversam hominum educationem variabilia, ex eo quod conformatio visivae facultatis acquisita sit, et non ingenita: ita absurdus et deridendus foret qui negaret, differentias morales in natura esse, eo quia haec sensus moralis habitudo per educationem paulatim in homine efficiatur et conformetur. Probare itaque insuper sensualistae deberent, habitudinem et conformationem moralis sensus non naturaliter et necessario, sed ab arbitraria et variabili hominum institutione derivari, adeo ut si nulla usquam fuisset hominum conventio, institutio et legislatio, omnes humani actus indifferentes forent; posita autem diversa ab ea, quam recepimus, institutione ac positiva legislatione, diversa quoque esset nostra de morali ordine sentiendi ratio; atque omnia justitiae honestatisque principia ac dictamina in vitio essent: contra vero iniqua, superba, crudelia et inhonesta quaeque facinora virtutis laudem essent habitura: quod nunquam certe probare poterunt sensualistae; Quin imo oppositum jam ex sensus intimi testimonio invicte demonstratum censeo, et mox cum ex sensu naturae communi, tum validissimis rationis argumentis apprime confirmabitur.

Et re quidem vera, quod ego de morali ordine intuitive sentio, id omnes etiam homines semper et ubique itidem senserunt. Quamvis enim opiniones, instituta, leges, et educatio ex diversis hominum circumstantiis et ingeniis mi-

randum in modum varia semper fuerint ; tamen quoad differentias morales , omnes ubique homines una consentiunt. Etenim quaecumque veterum recentiorumque populorum a summo usque ad infimum culturae et urbanitatis gradum pervolvatur historia, in ea videmus societates hominum in familiis, pagis, civitatibus viventium cum suis regulis, institutis, moribus, eadem justitiae , humanitatis , honestatisque principia profitentium. « Quae enim natio non comitatem , » non benignitatem, non gratum animum et beneficii memo» rem diligit ? Quae superbos, quae maleficos, quae crude» les, quae ingratos non aspernatur non odit ? » (Cic. de leg. l. 1 §. 11).

Atque haec adeo certa et explorata sunt ut ea denegare ne ipsi quidem sensualistae audeant : tantummodo hujus argumenti vim aliqua ratione imminuere adnituntur. Ajunt enim non apparere hanc generalem notionum moralium identitatem , cum certo constet , multa apud quosdam populos innocua et commendabilia quoque habita fuisse, quae penes alios flagitiosissima existimantur ; cujus rei plura congerunt exempla. Haec oppositio , quae quamdam veritatem praeseferre videtur, si recte perpendatur, consensum universalem de moralibus differentiis nullimode labefactat , sed apprime confirmat. Varia atque etiam inter se opposita principia moralia et consuetudines in populis videmus : igitur non eadem est omnium sententia circa distinctiones morales, nec habetur de his sensus naturae communis, ajunt sensualistae; sed male rem examinant. Etenim praetermissis corruptelis, quibus aliquando vel universa quaedam natio sese tradidit, non quidem ex erroneo et inculpabili conscientiae dictamine, sed mala consuetudine abrepta, et contra fas et jus agens ; his, inquam, praetermissis, unde nihil contra allatum argumentum inferri posset ; quoad ea facta honestati justitiaeque repugnantia, in quibus patrandis homines ob ignorantiam vel errorem inculpabilem recte honesteque se gerere putaverint, dico distinguenda esse primaria legis naturalis praecepta a

secundariis et derivatis; distinguendum esse pariter generale principium morale ab ejusdem applicatione particulari. Jam vero ultro concedam, dari posse non solum in minuta plebe, verum etiam in viris doctis et accuratis ignorantiam et errores circa secundaria morum praecepta eorumque applicationem, de quo in altera hujus tractatus generalis parte dato opere agam. Nos autem non dicimus omnes ubique homines omnia et singula legis naturalis praecepta novisse, neque unquam in iis discernendis errasse; verum hoc unum demonstrare intendimus, scilicet omnibus differentiam inter justum et injustum, honestum ac turpe perspectam et cognitam fuisse, omnes unanimi consensione quaedam legis naturae praecepta saltem primaria habuisse communia et firma, quod ut ajebam, ex gentinm omnium literis et monumentis apertissime constat; atqne evidenter confirmatur ex ipsis erroribus et factis, quae nobis opponuntur. Etenim si quidam populi contra ceterorum sententiam licere putaverunt, liberos mendosos, aut parentes senio confectos interimere, furtum cum solertia facere, fidem hosti datam fallere, sibi ipsi mortem consciscere, victimas humanas Diis immolare etc.; non ignorabant certe generalia praecepta liberos et parentes amandos, fidem servandam, Deum sancte colendnm etc: errarunt in eorum applicatione, idque aperte patet, tum quia illa facinora permittebant in quodam tantum pecnliari casu et snb quibusdam conditionibus, idest, si filius male se haberet, si parens senex et aeger sit « exceptio firmat regulam in contrarinm » ; tum etiam quia ea ipsa errata sunt falsae illae quidem, sed tamen veri et recti cujusdam naturalis praecepti applicationes. Etenim si filiorum vel parentum mortem procurabant, id non agebant quasi odio eos habendos esse putarint, aut indifferens eorum cura sibi esset ; sed ut eos ab hujusce vitae miseriis eriperent, et patriam inutili onere liberarent. Si Diis nedum fruges et animalia , sed homines quoque immolabant, id clare demonstrat, eos persensisse legis naturalis praeceptum de cultu Dei , quamquam in eo

exhibendo turpiter erraverint : et ita de ceteris. Unica igitur objectio, quae afferri possit contra universalem consensum quoad morales differentias, eumdem apprime confirmat. Jam vero si homines, quos iu ceteris suis actibus, institutis, opinionibus, educatione differre inter se vel maxime novimus, in hoc consentientes videmus; concludendum omnino est, has distinctiones morales non arbitrarias et variabiles esse, sed naturales et essentiales.

Nos autem ita de hac re sentimus, et omnes homines ita semper senserunt, quia impossibile est, ut homo rationis particeps hanc humanarum actionum differentiam non sentiat. Et re quidem vera universa natura non est chaos μιας μορφης (ut graeci ajunt) *unius faciei, unius vultus*, sed est systema summa sapientia et arte conditum. Nemo nisi desipiat, de hoc dubitabit : idque sensualistae ultro dabunt, qui toti sunt in ordine physico illustrando. Idea autem ontologica cujusdam *systematis* in hoc consistit, ut *sint vires coordinatae ad certum finem*. Finis generalis systematis naturae est ejusdem et partium *conservatio*. Maximum autem hoc naturae systema comprehendit pene innumera entia, quorum singula suas vires habent et proprium finem; ideoque media et leges ad eumdem necessariae et determinatae esse debent. Itaque universa natura est quoddam systema comprehendens tot alia minora systemata quot sunt species entium, imo quot sunt individua in singulis speciebus. Singula enim entia sive mineralia sive vegetalia sive animalia bruta sive ratione utentia suas habent proprietates et vires a ceteris distinctas, suum gradum et relationem in ordine rerum, suum statum naturalem et finem determinatum ac leges, quibus pareant. In hoc consistit ordo et systema naturae. Quae leges posita rerum et virium existentia, distinctione, mensura, conditione, et fine unicuique praefixo, debent esse leges in se determinatae et necessariae, ea prorsus ratione, qua determinatae et necessariae sunt veritates et leges arithmeticae et

geometricae, quarum realis applicatio est in entibus naturae (1).

Quibus positis, aperte patet duplex legum ordo necessario in natura designatus, scilicet ordo legum physicarum et moralium (legum nomen hic lato sensu accipio pro regula, mensura, norma). Ordo physicus in entibus non liberis cujus leges sunt necessariae objective et subjective; et ordo moralis, in quo leges, si objective considerentur, sunt ejusdem naturae ac primae illae physicae, nempe sunt essentialiter determinatae et necessariae; subjective tantum differunt, quia dirigunt hominum actus, qui vi liberi arbitrii possunt non jam eas tollere aut immutare, sed vel violare vel iisdem parere. Ex quo imputabilitas humanorum actuum exurgit. Dicere igitur omnes hominum actus natura sua indifferentes, nullique naturali legi obnoxios, idem absurdum est ac affirmare nullam nec mechanicam, nec aliam quamcumque physicam legem esse, omniaque confundere et ad chaos redigere. (Vide Genuensem Diceos. l. 1. cap. 3. §. 3. ad 9.)

Si quis autem distinctius inquirere velit, an dictamina justitiae honestatisque, quae omnibus perspecta sunt, sint revera illae leges, quae hominis naturae necessario conveniunt, consideret ipse secum quae sint naturales hominis vires, quis ejus status; nec erit ei amplius dubitandi locus. Etenim si homo natura sua rationalis et liber est, si natura sua ad societatem est factus, sine qua nec vitam, nec rationem ha-

(1) « Le leggi, per le quali sono gli esseri di questo mondo gover-
» nati, nascono ... dall'essenze medesime di questi esseri e da'loro rap-
» porti essenziali; anzi son essi rapporti concatenati da una potenza
» ideatrice, e creatrice dell'ideato: imperciocchè la legge dell'universo,
» la catena generale onde sono le particolari di ciascuna cosa, è adat-
» tata non a distruggere ma a conservare il tutto e le parti, tenendole
» insieme armonicamente strette. Non altrimenti che in una serie di
» numeri 2, 4, 8, 16, 32, 64, 128 ec. la ragione subdupla di uno all'
» altro e le leggi di questa proporzione sono i rapporti di questi nu-
» meri, e nascono dalle loro essenze e si combaciano quelle per modo
» che a volerle rompere converrebbe cassare quei numeri e sostituirne
» loro degli altri » (Genovesi Diceos. l. 1 nel principio).

bere ac perficere ullo modo posset (ut in 1 thesi demonstratum est), sequitur ad hunc finem naturalem quaedam media et regulas in natura determinatas et necessarias esse debere, quibus servatis, societas humana stare possit, secus destruatur. Porro leges, quae societati sive particulari sive generali necessario competunt, ex natura societatis dignoscuntur. Societatis enim essentia in unitate morali consistit, scilicet in unitate voluntatum ad eumdem finem conspirantium, quae unio moralis hac tantum lege firmatur: cujusque proprietates et jura sarcta tectaque sunto; neminem laede; alios si potes et quantum sine gravi incommodo potes, juvato. Quae generalia dictamina in se comprehendunt ceteras justitiae humanitatis beneficentiae et honestatis regulas. Hae igitur regulae per abusum libertatis violari quidem possunt; per se autem sunt immutabiles et ex hominis natura et relationibus essentialiter ac necessario derivatae; ita ut ne Dei quidem arbitrio possint immutari. Quae cum ita sint, impossibile etiam est, ut homo, modo sensus et rationis sit compos, non plane sentiat justum ab injusto, honestum a turpi natura sua differre. Impossibile enim est, ut homo seipsum non sentiat, suasque vires a ceteris distinctas, naturalemque tendentiam ad felicitatem sibi propriam, et quam sibi necessaria sit societas; quod adeo sentit, ut semper et ubique omnes in societate viventes videamus. Jam vero si in societate omnes commorantur, impossibile omnino est, leges illas non sentire quae sunt tamquam fundamenta, quibus humana societas necessario innititur et regitur, iisque sublatis, ipso fatente Hobbesio, societas illico solvitur et habetur bellum omnium in omnes (1).

(1) Genuensis loc. cit. §. 1. « Non è differente il cercare; vi ha egli » una legge naturale morale, che ci debba governare, dal domandare; » vi ha nessun ordine, che affrena, e conduce questo mondo? Ed ancora, vi ha egli provvidenza? Di qui è che come non è facile di trovare un popolo non sensiente del corso ed ordine delle cose, ed » ignorante della divinità e della provvidenza; così non se ne trova » nessuno, il quale non senta, esservi una regola naturale da distinguere il giusto dall'ingiusto, la virtù dal vizio. »

Tandem alio etiam argumento, ut dici solet, ad hominem sensualistas compellere juvat. Nemo certe inficias ibit, hac nostra aetate differentias quasdam morales existere; furtum, homicidium, fraudem ceteraque crimina vitanda esse, justitiam beneficentiam honestatemqne servandam. Atqui si non ex naturalis legis ordinatione haec facienda, et illa vitanda sunt; quaero undenam praecepta ista vim suam mutuentur? Respondent sensualistae, quia per pacta et civiles leges sancitum est, ne quis fur esset, neu latro, neu qnis adulter. Igitur haec dictamina, *subditos parere debere Principi juste et legitime imperanti, pactorum fidem servandam esse*, haec inquam dictamina sunt quavis scripta lege vel hominnm pactione antiquiora; his enim sublatis, vana et nulla prorsus fierent et pacta et leges civiles, et quodvis aliud societatis vinculum. Ergo et in eorum hypothesi necessarium est aliquod honestatis dictamen ante omnes pactiones omnesque hominnm leges.

Qui igitur fieri potuit, inquies, ut tam multi, iique non obscuri nominis philosophi, adeo absurdnm systema professi sint, quod non solnm moralitatem, verum etiam ordinem physicum, aestheticam, universamque philosophiam destrueret? Hi omnes posito sensualismi criterio, fatalismum, atheismum aliaque falsa dogmata profitebantur. Quid mirum si ex hisce principiis haec consectaria deduxerint?

CAPUT III.

DE DEO NATURALIS LEGIS LATORE.

ARTICULUS I.

Status quaestionis et directa thesis demonstratio apodictica.

Demonstravimus in superioribus capitibus, statum hominis naturalem esse socialem, in hac autem naturali sua condi-

tione essentialem immutabilemque justitiae, et honestatis ordinem homini convenire. Nunc vero dico, ordinem hunc moralem veram et proprie dictam legem esse, quae scilicet non solum sit mensura actuum humanorum, sed quae vim quoque habeat efficaciter inducendi homines ad honesta et justa peragenda, imponendo nempe moralem necessitatem seu obligationem operandi vel abstinendi. Quaeritur itaque utrum regulae illae morales hanc legis vim in se ipsis essentialem habeant, an potius ab alio extrinseco principio imperante et cogente eam mutuentur. Tota inquam quaestio est de *principio constitutivo*, ut dici solet, legis naturalis. Jamvero principium hoc nullum aliud re vera esse, vel esse posse affirmamus, nisi rationem et voluntatem Dei ordinem moralem hominis naturae convenientem conservari jubentis, perturbari vetantis, seu brevius, Deum essentialiter naturalis legis latorem esse. Adversarii hujus thesis sunt omnes praescindentes philosophi, quorum opiniones antea exposui, qui legis naturalis conceptum et vim independentem omnino censent a notione supremi naturae auctoris et legislatoris Dei.

Animadvertere autem sedulo oportet, thesim nostram in eo non esse, ut affirmemus, Deum aliqua ratione impropria et mediata legis naturalis auctorem esse; sed ideam Dei ordinem moralem statuentis imperantis ac sancientis ita necessariam dicimus, ut, ea sublata, naturae lex omnino destruatur. Illud enim praescindentes sanioris mentis philosophi facile concedunt. Ita e. g. Grotius in praefatione op. *de jure belli et pacis* ait quod « jus naturale . . . quamquam a principiis homini internis profluit; Deo tamen adscribi merito » potest, quia ut talia principia in nobis existerent, ipse voluit ». Similia habet Cl. Paschalis Galluppi, qui hac in re principia synthetica a priori Emmanuelis Kant adoptans, rationem ipsam hominis autonomam seu legislatricem facit. Attamen Deum supremum naturae auctorem, legis quoque naturalis auctorem quodammodo dici posse fatetur. Cum autem philosophi isti non *immediate* in prima causa, nempe Deo;

sed in causis secundis, idest in viribus ipsius animae humanae, principium constitutivum legis naturalis ponant; sequitur in eorum systemate, ideam Dei imperantis adiaphoram prorsus esse a conceptu moralitatis; sed, ea praetermissa, lex naturalis in tota sua vi permaneret. Quod etiam perspicue apparet in kantianae scholae sectatoribus Fichte, Scheling, Hegel, qui cum athei metaphysici esse videantur; moralem tamen philosophiam per haec principia extruere adnituntur, posthabita Dei notione, proclamantes ideam officii per se subsistere. Conscientiam sequere, ait Fichte, in eaque omnia officia hominis invenies.

Nos itaque exitialem hunc errorem radicitus extirpare, et propositam thesim, tamquam universae philosophiae moralis fundamentum, firmiter statuere cupientes, primum *directe* eam demonstrabimus duobus argumentis, altero apodictico, altero ex facto philosophico: tum denique *indirecte*, omnia scilicet possibilia adversariorum systemata expendendo et adaequate refutando. Id autem tribus distinctis articulis exolvemus. Sit itaque in hoc primo articulo brevior quidem, sed dilucidissima apodictica demonstratio.

Deum, ens omni perfectionum genere summum, existere, eumque hujusce rerum universitatis primam et essentialem causam esse, cujus providentia omnia sapientissime gubernantur; sunt hae, inquam, veritates metaphysica certitudine in theologia naturali demonstratae. Atqui ex his necessario consequitur, Deum naturalis legis latorem esse. Nemo sane in primis dubitare unquam poterit, ordinem justitiae et honestatis naturalis a Deo originem habere: siquidem, et universum naturae systema, et hominis naturam, naturalemque ejus statum, ac relationes, ex quibus ordo ille moralis necessario derivatur, Deus ipse creavit, et constituit. Qui ergo est hominis auctor, eum ordinis moralis itidem auctorem esse oportet.

Jamvero, dico, necesse omnino esse, ut ordo hic moralis, quem Deus ipse posuit et determinavit, a Deo ipso ab-

solutissimo suae voluntatis decreto jubeatur ac sanciatur. Cum enim (uti vel ipsi praescindentes ultro concedunt ac defendunt, et nos in thesi II. praesertim demonstravimus) omnes justitiae honestatisque regulae hominis naturae, ejusque naturalibus relationibus adeo conveniant, ut iis ad amussim servatis, homo in suo naturali gradu et ordine permaneat, prospereque se habeat, atque ad suum finem recta pergat via: iis vero neglectis ac violatis, omnia perturbentur et pereant: sequitur sapientissimum naturae auctorem ac moderatorem non posse ordinis moralis custodiam non jubere, perturbationemque haud vetare. Secus enim Deus vellet finem et nollet media ad eumdem necessaria, quod quidem ejus attributis ac providentiae prorsus repugnat.

Porro in hac Supremi Imperantis voluntate ac decreto, quo necessario prohibet homini actus intrinsece malos, ejusque naturae contrarios, ac praecipit honestos necessarios, aliud quoque decretum virtualiter continetur, quo scilicet aequa et efficax pro meritis remuneratio ac punitio sanciatur. Prohibitio enim ac jussio necessitatem quamdam producit in homine pertinentem ad morum honestatem, quae dicitur obligatio in conscientia, quique est praecipuus legis effectus. Sanctio vero hominis voluntatem inclinat ac movet ad recte honesteque vivendum. Si quis autem neget, Deum aequa pro meritis lance praemia et poenas impertiri, consequenter dicere debet, quod nec justus, nec sapiens, nec propterea moderator ac legislator, nec causa mundi, denique nec Deus sit.

Quae cum ita sint, si posita Supremi Numinis existentia et providentia, concludendum omnino est, non solum ordinem moralem habere Deum auctorem, verum etiam ordinis hujus conservationem ab eo juberi, perturbationemque abscisse vetari debere, cujus custodiae aut violationis Deus ipse judex, remunerator ac vindex necessario futurus sit; apodictice demonstratum apparet, Deum naturalis legis latorem esse.

ARTICULUS II.

Altera ex facto philosophico directa thesis demonstratio.

Certum quidem est semper, ubique, omnes homines rationis usum adeptos duas veritates itidem tenuisse, existentiam legis naturalis quoad primaria saltem ejus praecepta, et existentiam Numinis, qui rerum humanarum curam habet; primum demonstravimus capite 2, alterum in theologia naturali ab omnibus metaphysicis pertractatur, et est argumentum morale de existentia Dei, ita ut ad haec usque tempora illud Ciceronis (de leg. l. 1 §. 8) verissimum reperiatur, quod » ex tot generibus nullum est animal, quod habeat notitiam » aliquam Dei; ipsisque in hominibus nulla gens est, neque » tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi igno» ret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. » Hic autem praestat animadvertere, non tamquam ab invicem separata et independentia ; sed adeo relativa et intime colligata haec duo retenta fuisse, ut semper, ubique, apud omnes gentes ideas religiosas pro fundamento moralitatis habitas videamus. Haec historica veritas ab eruditis locupletissime exponitur, ad cujus rei notitiam eruditionis amatoribus sufficere arbitror consuluisse Petri Tamburini lectiones superius laudatas. Atque haec non modo sanioribus cujusvis aetatis sapientibus explorata res fuit, sed vel ipsi intemperantiores increduli, quod sane mireris, id ultro fatentur, atque in hoc argumento exornando plurimum adlaborarunt (quod apud eumdem Tamburinium videre est) diligentissime undique monumenta colligentes non modo ex Graecis, Romanis, Chaldaeis, Assyriis, Persis, Aegyptiis, Americanis, Chinensibus ; sed vel ipsas sylvestrium populorum terras pervagati sunt, ut inde deducerent, certissimum esse, a remotissima omnium gentium aetate usque ad recentiorem quamque novi orbis notitiam, nullam repertam unquam esse gentem po-

pulum aut pagum, qui religionem non coleret, eamque pro fundamento societatis et officiorum omnium non haberet.

Sane cujusvis populi historia pervolvatur, ejus originem aut vero aut ficto Numini, tamquam auctori, consecratam videmus, templa veluti aulam supremo Numini nationis patrono, ac praesidi, justitiae, fidei et legum omnium vindici consecrata, sacerdotes ipsis regibus et imperatoribus venerandos, nullam rem majorem sine eorum ministerio geri, sive agatur res popularis, sive res duelli aut foedera pacis, auspicia, aliosve sacros solemnesque ritus semper interpositos: hinc morem graviora negotia jurisjurandi religione firmandi cunctis populis sanctum et inviolabilem, non ex alia profecto causa, nisi quod omnibus persuasum sit, Deum humanis factis consiliisque praesentem esse, et justitiae, fidei, religionisque vindicem severissimum; publicas gratulationes, triumphos, popularem ipsam ludorum laetitiam cum Divorum honore conjungi solemne fuit: si quae calamitas civitatem vexaverit, divorum templa adeunda, sacra facienda ad eorum iras placandas; hinc hostiae aliaeque cerimoniae, quae populi maculas expiarent. Si quae crimina capitalia extiterint, reos tamquam victimas divinae justitiae placandae mactari oportere, et per *supplicia* seu supplicationes eorum expianda crimina. Cultus Deorum manium pervulgatus; summa autem apud omnes funerum et sepulchrorum religio alterius vitae persuasionem declarant, in qua humanarum actionum ratio habeatur, et pro cujusque merito a supremo rerum omnium Moderatore poenae vel praemia tribuenda sint. Neque aliud vel ipsae fabulae Minossis, tartarorum, elysiorumque significant.

Haec et similia ab omnibus factitata et retenta non solum demonstrant generalem et constantem omnium hominum persuasionem de supremi Numinis existentia et providentia, quae cum futurae vitae statu intime connexa sit; sed etiam, quod initio affirmabam, scilicet persuasionem hanc religiosam fuisse semper basim, et ut ita dicam, animam totius vitae

socialis et moralis, quatenus omnibus fuerit persuasum, Deum supremum legislatorem et principem esse, scilicet justitiae honestatisque auctorem, testem, judicem, remuneratorem et vindicem.

Quam intimo et indissolubili vinculo colligentur et reciprocentur moralia cum religiosis, justitiae honestatisque lex cum sapientissimo, providentissimo, aequissimoque legislatore Deo, ab effectibus quoque recognoscere planum est. Nihil enim in historia testatius, quam quod ubi purior et sancta religio studiose colitur, justitia, charitas, virtutes omnes florescunt quotidie magis; morum autem corruptela eo latius dilabitur, quo magis religionis dogmata languescunt: sin autem theologicae veritates aliqua ex parte corrumpantur, vel religio tota indifferentiae vel contemptui habeatur, absoluta morum licentia in omnes diffunditur.

Rariora quidem superioris generis exempla sunt, quippe omnia praeclara rara; ceterum, levioribus praetermissis, primordia christianae religionis a fidelibus adamatae et studiosissime excultae praeclarissimis omnibus virtutibus referta spectaculo admirationique gentibus universis fuere. Quoties autem in novo aliquo populo a viris apostolicis haec religio pura implantatur et sedulo excolitur, vel ubi collapsa fuerit ad saniora principia revocatur, ac pristinus religionis spiritus reviviscit, toties eosdem effectus producit. Ceterum cum in omni ferme populo et aetate religionis elanguescentis et oblivioni datae, vel depravatae et contemptae, vel ab impiis impudentissime oppugnatae nimis multa exempla occurrant; neminem profecto latere potest correlata morum corruptio; cujus rei evidentissima facta omnium haeresum historiae, nec non Cyrenensium, Pyrronistarum, Epicureorum, recentiorumque incredulorum greges abunde dabunt.

Accedit quod nemo unus unquam naturae legem inficiatus est, quin antea de solio, et de supremo regimine deposuerit Jovem « Insipiens ille de quo David, Deum tollit, » inde *corrupti et abominabiles dies ejus*. Theodorus atheus,

» de quo plura Laertius, cum Deos sustulisset, id quod erat » consequens, nihil natura turpe ac honestum, nihil justum » aut injustum esse docuit (eamdem impietatem sensualistae » ceteri praeseferunt). Exterminavit ex mundi cura Deum » Epicurus; sed idem posuit, solam esse utilitatem justi et » aequi matrem .... Jam novelli homines, qui juri naturae » nervos omnes inciderunt, in primis profani illi Hobbius » et Spinosa, athei fuisse convincuntur » (Genuensis in praefat. operis. De principiis Juris Naturae.)

Quare nihil antiquius, firmiusque sapientibus fuit (si excipias mediocres quosdam et novitatis mercatores, ex qua inanem quamdam gloriae auram consequi posse sperant, aliosve magna quidem mentis vi, sed intemperanti et sophistica) nihil, inquam, firmius sapientibus omnibus persuasum, quam societatis et moralis vitae fundamentum religionem esse. Socrates, qui scientiam universam a sophisticis et inanibus quaestionibus expurgatam ad vitae usum et mores hominum regendos convertendam censuit, duabus de providentia Dei et animorum immortalitate veritatibus positis, varias inde morum regulas veluti a fonte derivavit, quae publicam civilem et domesticam vitam spectant: quare philosophiae parens merito ab omnibus est habitus. Quanto autem firmum in socratica disciplina hoc dogma fuerit, facile videre est in praecipuo hujus scholae discipulo Platone, qui praestantissimo ingenio et eloquentia pene divina theologiam, ut ita dicam, moralem edidit.

Aristoteles quidem Platonis doctrinam, nimis certe contemplativam, aliquantulum temperavit, et ad communis vitae rationem reduxit: unde quibusdam, inter quos Tamburinio, visus est Aristoteles primus a morali philosophia theologica seposuisse: sed immerito prorsus. Is enim ut oppositum vitium platonicum devitaret et ad socraticam simplicitatem philosophiam moralem revocaret, leviter in suis ad Nichomacum libris theologica tractat. Attamen et ibidem hoc affirmat, quod si Numinis providentiae res humanae subsunt,

quod inficiari nemo potest, certe virtus Deo grata censenda est, quique eam colit ab eo remuneratum iri: secus vitium. « Aristoteles autem, ut monet Gennensis, (De off. ad calcem » Diss. 3. §. 7.) unus Graecorum Politicorum, non fanaticus, » cum sex dixisset civitati constituendae regendaeque esse » pernecessaria, quinto loco religionem commemoravit. Quod » cum aliquanto absurde factum esse animadverteret, se cor- » rigit, ac primo loco ponendam decernit : *πεμπτον δε και » πρωτον, η περι το θειον επιμελεια, ην καλυσιν ιερατειαν*, quae » praeclare Lambinus reddit, *quintum est id quod primo loco » ponendum fuit , rerum divinarum et cerimoniarum curatio* , » *quam sacerdotium appellant*. Polit. l. 7. 8. Plato vero fere » semper, ut Homerus, theologus nihil prius antiquiusque ha- » bet, quam ut religionem in Rep. figat, et certam et immo- » bilem : quippe nihil salvum ubi Dii nutant ». In hac certe sententia firmissime fuerunt omnes legislatores, populorumque duces, qui in describendis legibus, quibus civitates regi debeant, in rebus publicis firmandis, sanandisque populis , ac virtutibus promovendis dederunt operam ; adeo ut quamplurimi leges a numinibus ipsis sibi oretenus traditas effinxerint : (Vide Warburtonum *de divina Moysis legatione*). Neque aliud significant illa recentiorum incredulorum dicteria *populo necessariam esse religionem* ; eamque esse *politicae adinventum*; nisi generalem hanc de qua loquimur persuasionem. Quare Cicero omnium veterum sapientiam penitus edoctus perspecte affirmat, pietate adversus Deos sublata, fidem quoque justitiamque tolli. Idem vero de legibus acturus ab Jove et a ceteris Diis immortalibus censet capienda esse primordia, et « ut vir doctissimus fecit Plato (Ait Cicero de leg. lib. » 2.) atque idem gravissimus philosophorum omnium , qui » princeps de rep. conscripsit, idemque separatim de legibus » ejus, id mihi credo esse faciendum, ut priusquam ipsam » legem recitem de ejus *legis laude* dicam. Quod idem et » Zeleucum et Charondam fecisse video, cum quidem illi *non » studii et delectationis , sed reip. causa leges civitatibus suis*

» *scripserint* ». Quaenam vero hujusce legis laus? En « Sit » igitur jam hoc a principio persuasum civibus, dominos es» se omnium rerum ac moderatores Deos; eaque, quae ge» rantur, eorum geri ditione, ac numine, eosdemque optime » de hominum genere mereri, et qualis quisque sit, quid » agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat » religiones, intueri; piorumque, et impiorum habere ratio» nem. His enim rebus imbutae mentes haud sane abhorre» bunt ab utili et vera sententia ». Quapropter recte et vere Plutarcus contra Colotem ajebat. « Si terras obeas inveni» re possis urbes muris, literis, regibus, domibus, opibus, » numismate carentes .... Urbem vero templis Diisque desti» tutam, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non » bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, » nemo unquam vidit; *sed facilius urbem condi sine solo posse* » *puto, quam opinione de Diis penitus sublata, civitatem coire* » *aut constare* ».

Neque posteriori aetate ullum forte reperies philosophi laude celebratum, qui theologiam a morum disciplina omnino separandam esse censuerit (1), si Grotium excipias, qui in praefatione operis de Jure belli et pacis cum statuerit, societatis custodiam humano intellectui convenientem fontem esse universi juris, unde omnia justitiae et beneficentiae officia dimanant, concludit, « et haec quidem, quae jam di» ximus, *locum aliquem* haberent etiamsi daremus, quod sine

(1) Contra maximam praescindentium turbam, qui de lockiana philosophia gloriantur, et putant conceptum praeceptorum moralium subsistere posse seposita Dei notione hoc censeo adnotandum, quod ii cautiores in hoc asserendo fuissent, si animadvertissent, magnum eorum magistrum Lockium diversa prorsus docuisse. Ait enim » Quid sit offi» cium sine legis praescripto intelligi nequit, neque legis natura sine » legislatore, nec sine praemio et supplicio sciri quidem, vel supponi » potest. Quapropter fieri non potest, ut hoc aut aliud quoddam prin» cipium practicum sit innatum, idest officii hujusce notitia in animo » a natura sit impressa, nisi supponamus Dei, legis, obligationis, sup» plicii, et futuri aevi ideas nobis esse ingenitas » (de intell. hum. l. 1 c. 3 §. 12).

» summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non cu- » rari ab eo negotia humana » : hoc autem *cum excidisset Grotio*, ut verissime monet Genuensis, *in doctorum omnium virorum reprehensionem incurrit*, quamquam id quidem opinanter et tamquam aliud agens dixerit; addidit autem « sed » et illud ipsum, de quo agimus, naturale jus sive illud so- » ciale, sive quod laxius ita dicitur, quamquam ex principiis » homini internis profluit; Deo tamen adscribi merito po- » test, quia ut talia principia in nobis existerent ipse vo- » luit; quo sensu Crysippus et Stoici dicebant, juris origi- » nem non aliunde petendam, quam ab ipso Jove, a quo » Jovis nomine jus latinis dictum probabiliter dici potest ». Unica objectio contra perillustre hoc factum philosophicum de reciproca et inseparabili connexione theologicarum notionum cum moralibus ex facto historico atheismi enascitur. Ajunt enim: sunt et fuerunt athei, qui quamquam supremi Numinis imperium nullum, vel inane duxerint, et nihil timuerint aut speraverint post mortem; tamen juste et honeste vixerint, nec non de morum disciplina optime meriti fuerint.

In hanc objectionem in primis animadverto; majorem incredulorum partem contemptores quidem cujusvis religionis esse; qui (ut ipse Baylius affirmat) dum se atheos impudenter jactitant, levitate et impostura turpissima revincuntur, ut simulata philosophiae specie turpissimis cupiditatibus liberius indulgeant, easque quodammodo decorent. Pauci admodum sunt athei metaphysici, et ut dici solent, *athei ex systemate;* horum autem plerique cum suo atheistico systemate, systema quoque honestati justitiaeque naturali contrarium una profitentur, ut superius adnotavi. Si qui autem sint ut Baylius somniavit « viri graves et frugi, qui carnis » illecebras, mundique vanitatem contemnentes per longam » et profundam meditationem in atheismi barathrum prola- » psi sunt », idest de atheismo plene persuasi, eodemque tempore de honesto et justo recte sentientes, vitamque suam ad legis naturae normam conformantes, si superis inquam pla-

ceat hujuscemodi homines unquam extitisse, ad quos omnes numerandos manuum digiti satis superque forent; tamen hoc factum adeo minimum, etiamsi pro certo habeatur, nihil prorsus valeret ad infirmandam generalem inductionem omnium aetatum, omniumque populorum, et inter arcana naturae monstra, quae ejusdem generalibus et constantibus legibus nullimode officiunt, accensendum.

Sed hoc quaero ; certum ne sit et exploratum, revera quosdam in orbe extitisse de atheismo persuasos; eosque legis naturae ex conscientia retinentissimos cultores: hanc autem rectissimam moralium persuasionem nullam a theologicis notionibus originem, nullum substentaculum in eis habuisse? Si vel una ex hisce tribus difficultatibus lateat, aut etiam aliquanto dubia haereat, tota vis propositae objectionis evanescit. Verum dico nullum horum trium dubiorum demonstrari posse ab adversariis, et contrarium potius cuilibet non sophistico ingenio certum omnino esse debere. Ut enim primum haec demonstrari possent, necesse foret eorum qui tam impia simulque tam honesta profitentur, animum penitus perspicere: externae omnes significationes, facta, dictaque commentitia et simulata esse possunt. Certe sophismata omnia quae proferunt levioribus ingeniis fucum facere, nemini autem impiorum dogmatum, non dico persuasionem, sed ne levem quidem probabilitatem ingerere valent; idem de sua ipsorum sententia censendum est, qui non ex intellectus persuasione, sed ex voluntatis pertinacia atheismi barathro inhaereant. Sin autem aliquos honestatis justitiaeque sensus adhuc retinent (et quis naturam penitus exueret? *Naturam expellas furca tamen usque recurret*); nemo certe dixerit, haec moralia dictamina nullam relationem et dependentiam cum naturae legislatore et principe habere. Si enim efferati et impii homines ideam Dei de suo animo deleverint, certe realem ejus existentiam, qui vi, ratione potestate, mente, numine naturam omnem regit, destruere non potuere. Quae omnia ante atheismi delirium ipsi quoque nove-

rant; et juxta hanc naturalem, et essentialem cum Ente necessario et futurà vita hominis relationem, eorum sensum eorumque criteria moralia, sicut in ceteris hominibus, conformata sunt: deinde in atheismum voluntarium prolapsi habitus ab infantia efformatos retinent (1). Quae cum ita sint; si quotquot extitere homines, de quibus notitia ad nos pervenerit, semper ubique omnes morum praeceptis numinis imperium et providentiam pro fundamento itidem posuere: si generali experientia patet bonos hominum mores aut corruptelam semper cum religionis cura et veneratione, vel cum

(1) Voluntarium dico atheismum, et pertinacem contra conscientiae voces religionis contemptum. Etenim absolutam rerum divinarum ignorationem, vel quod multo deterius esset, plenam atheismi persuasionem in homine ratione utente et morum praecepta callente impossibilem prorsus unanimi consensione censent sapientes;adeo ut facilius sit, hominem sui corporis et extensionis ac soli ignarum recta incedere via, quam intellectualem et moralem vitam degere, sublata idea omnia ratione et potestate regentis et moderantis Dei. Immo qui profundius in philosophia rationali vident sapientissime monent, Dei providentissimi notitiam talem esse, ad quam mens nostra necessario fertur, dummodo ejus facultates evolvantur. Hominis enim mens statim ac per reflectionem in seipsam animadvertit, et objecta externa a se distincta percipit, sicut saxum petit suum centrum, ita naturali impulsu duas extremas veritates ontologicas illico attingit, scilicet ideam abstractam quantitatis arithmeticae et geometricae, et ideam entis infiniti, seu primae et magnae cujusdam causae a qua omnia pendent et substentantur. Itaque in cujusvis vel rudioris hominis intellectu tamquam semina matheseos et theologiae inseruntur, et continentur, quae sunt norma et elementa ad omnes artes, disciplinas, totamque vitae rationem degendam pernecessaria: hinc quoslibet actus, dicta, consilia, quae vel in agricolis aut tonsoribus animadvertimus, ab his notionibus informata omnia et directa internoscere facillime possumus, atque intra hos limites et cardines ceteras hominia cognitiones et affectus copulari et versari. Quam igitur immutationem et differentiam inducere potest in hominum ingenia praesertim quoad theologica ulterior animi cultura? Equidem cum Bacone de Verulamio hoc statuendum censeo, (De dign.l.1.) « certissimum esse atque experientia » comprobatum, leviores gustus in philosophia *movere fortasse* ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem *reducere*. Namque in limine » philosophiae, cum secundae causae tamquam sensibus proximae ingerant » se menti humanae, mensque ipsa in illis haereat et commoretur; *obli*» *vio* primae causae *obrepere possit*. Sin quis ulterius pergat, causarum» que progressum, seriem, dependentiam, et concatenationem, atque ope» ra providentiae intueatur; tunc secundum poetarum mythologiam facile » credet, summum naturalis catenae annulum pedi solii Jovis affigi ».

ejusdem oblivione et contemptu concordasse; si quotquot naturae legem inficiati sunt, eos atheismi et irreligionis magistros fuisse constat; quis non illico concludat cum omnibus ferme sapientibus factum hoc philosophicum naturae judicium esse, quo apprime confirmantur ea, quae superiori articulo apodictice demonstrata sunt, notionem scilicet Dei legislatoris remuneratoris et vindicis relativam esse et essentialem conceptui legis naturalis?

ARTICULUS III.

Praescindentium philosophorum systemata refutantur.

Cum ex demonstratis art. 1.° et 2.° certum exploratumque sit, Deum naturalis legis essentialiter latorem esse, itemque certum et exploratum, quotquot naturalia praecepta noverunt, eos omnes ubique semper cognovisse firmiterque tenuisse officia haec naturalia a Deo absolute juberi ac sanciri, sequitur inanem prorsus esse, et a recte ac sobrie philosophandi ratione alienissimam, praescindentium opinionem, qui, seposita Dei jussione et sanctione, legem naturae subsistere posse autumant. Ceterum peropportunum censeo, adversariorum rationes expendere et adaequate refutare, non solum ut omnia sophismata contra propositam thesim penitus tollantur, verum etiam ut alia, indirecta quidem, attamen validissima ejus demonstratio eruatur, qua apertissime pateat, praeter Deum naturalis legis latorem, omnes alias hypotheses de principio constitutivo legis naturae falsas et absurdas omnino esse. Quoniam vero duo affirmant praescindentes philosophi, scilicet 1. Sine Dei jubentis et vetantis notione haberi posse conceptum legis naturalis proprie dictae internam conscientiae obligationem inducentis: 2. Sine Dei notione naturalia praecepta sancientis, et pro cujusque bonis vel malis meritis praemia ac poenas in altera vita impertien-

tis, sufficientem in praesenti vita dari naturae legis sanctionem: hinc utrumque separatim examinabo.

§. I. Dico itaque, *sublata notione Dei justa et honesta jubentis, injusta ac turpia vetantis, conceptum legis naturalis proprie dictae, internam conscientiae obligationem inducentis, haberi nullo pacto posse.*

Enim vero praescindentes, qui oppositam tuentur sententiam, tres tantum hypotheses specifice diversas de principio constitutivo legis naturalis effingere possunt, ac re vera effinxerunt. Alii enim 1. statuunt, *ipsam rectam rationem* (sive in systemate eudemonismi, sive in systemate philantropiae) quatenus operationes ipsi hominis naturae convenientes aut repugnantes discernit, per se praecipere et vim legis habere. Alii 2. e contrario ajunt, per rectam rationem theoretice quidem cognosci moralem ordinem hominis naturae apprime consonum; quod autem hic ordo sit lex proprie dicta veram obligationem inducens, id ab alio *quodam interno principio* repetendum esse, quod ideam legis et officiorum immediate suggerit ac producit. Alii denique 3. loco autumant, *ipsam naturam*, sive per ratiocinium, sive per internum quodvis principium, cognitam, per sese vim habere obligandi et moraliter inducendi homines ad honesta servanda ac vitanda turpia. Singulas igitur hasce hypotheses expendamus.

Ajunt itaque primae sententiae patroni, esse de ratione legis, ut contineat regulas practicas subditis propositas tamquam necessario servandas, seu obligatorias in conscientia. Jam vero in legibus positivis, quorum praecepta recta quidem sunt et ad bonum commune peropportuna, non autem omnino necessaria, in his certe requiritur supremi Principis voluntas, qui per suum imperium subditis manifestatum determinet ac praecipiat ea quae facienda aut vitanda sint, apposita quoque positiva sanctione. In lege autem naturae haec supremi Imperantis voluntas supervacanea prorsus est: ipsa

enim recta ratio necessariam et intrinsecam actuum humanorum bonitatem aut pravitatem novit: ideoque justa et honesta omnino facienda, et ea quae sunt his contraria abscisse vitanda ratio ipsa praecipit, ut convenienter naturae suae quisque vivat, suumque finem assequatur: qui autem secus faceret, contra rectae rationis praecepta peccaret. *Est* igitur *vera lex* (concludendum cum Tullio, cui veteres omnes recentioresque sapientes consonant) *est*, inquam, *vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocat ad officium jubendo vetando.*

Ceterum hujusce systematis falsitas facillime perspicitur, si consideremus, rectam rationem, sive accipiatur pro facultate cognoscendi veritatem, sive pro actuali mentis judicio et operatione, nihil aliud efficere nisi conscios nos reddere de idearum et rerum existentia ac proprietatibus, de earum convenientia aut repugnantia, ceterisque relationibus, quas inter se habent. Quapropter ratio vel 1. percipit veritates *theoreticas* scilicet axiomata et theoremata in scientiis abstractis et speculativis, in scientia autem naturae ratio demonstrat existentiam et proprietates rerum quae in universo naturae systemate coalescunt, nec non leges constantes quibus reguntur. Vel 2. loco recta ratio exhibet veritates *practicas*, idque duplici modo; primo quidem exhibendo regulas seu praecepta hypothetica et conditionata, secundo exhibendo praecepta absoluta et imperativa. Cum enim mens nostra percipit tantum media necessaria ad finem quemdam obtinendum, quemadmodum evenit in omnibus problematibus, et in omnibus artibus, tunc habetur hypothetica et conditionata necessitas, qua hominis libertati concessa est facultas agendi vel non agendi, attamen si quemdam finem consequi velit, certis mediis et certis regulis uti necessario debet. Cum praeterea demonstrat ratio homines ad quaedam media adhibenda, et ad hos vel illos actus exercendos vel omittendos omnino teneri; tunc quidem verum legis conceptum exhibet, ex eo quod non solum relationem percipit inter media et fi-

nem, verum etiam cognoscit, qua de causa, aut ex quo principio ea operandi necessitas derivetur. Verumtamen cognoscit quidem ratio quid faciendum fugiendumve sit, non ipsa per se aut jubet, aut vetat aut sancit: non est inquam legislatrix sed promulgatrix legis. Dici enim vero solet a philosophis, ac theologis, jurisque peritis rectam rationem esse veram naturae legem: id autem non proprie sed metaphorice dicitur, quemadmodum Principis edictum aut codex scriptus, ex eo quod continet et significat ea, quae a Principe jubentur, appellatur lex. Dato ergo et non concesso, quod recta ratio, seposita Dei imperantis idea, cognosceret naturalem legem; nunquam ea vere ac proprie dici posset lex, aut legislatrix naturae.

Concedunt libentissime, acriterque defendunt secundae sententiae fautores, rectam rationem nullo modo posse per se vim legis habere: inesse autem, ajunt, animis nostris inditum principium revera imperans et autonomum. Nos vero inter varias, quae ad hujusce interni principii naturam declarandam effictae sunt opiniones, simpliciorem et minus gratuitam sentimentalistarum sententiam expendemus: quod enim de hac dicitur, de ceteris quoque opinionibus erit itidem dicendum (1).

Jam vero Humius, qui systema sensus moralis dedita

(1) De natura et origine hujusce interni principii notionem officiorum suggerentis diversae sunt philosophorum opiniones. Alii enim putant ideam legis naturalis ac praecipuorum officiorum *innatam* esse; scilicet a Deo ipso hominum animis impressam et veluti insculptam. Alii sensum internum moralem in homine esse ajunt, quo intuitive discernit quid faciendum fugiendumve sit. Alii denique cum Emmanuele Kantio censent, conceptum legis et officiorum naturalium subjective et a priori produci a quadam vi seu *forma essentiali* intellectus humani. Cum enim mens nostra objective considerans hominis proprietates ac naturales relationes cognoscit omnes justitiae honestatisque regulas apprime convenire ejus naturae ac sociali statui servando, tunc hisce ideis adventitiis et theoreticis cognitis, intellectus vi sua subjective producit et addit notionem legis et obligationis moralis: hinc omnes justitiae et honestatis notiones evadunt *judicia synthetica a priori*, quae verum exhibent legis et officiorum moralium conceptum.

opera illustravit, postquam demonstravit, principia rationis nihil aliud exhibere nisi *idearum relationem* : ideoque nullam obligationis moralis et officii ideam dare posse : in hoc, tantummodo, ait, consistit intellectus nostri munus, ut actum humanum reprehesentet cum suis omnibus circumstantiis et relationibus: quibus omnibus speculative perceptis, animus ex naturae suae dispositione per internum sensum experitur novam impressionem gratam aut ingratam, et irresistibilem inclinationem aut aversionem ad actum illum exequendum vel vitandum, et ad eum sive in nobis sive in aliis approbandum vel improbandum. Haec vox sensus moralis generalis, absoluta, imperans in omnibus inest, quae sine ulla notione imperantis Dei quid faciendum fugiendumve sit aperte pronuntiat.

Huic ratiocinationi breviter et perspicue respondet Galluppius (Elem. di Filos. to. 5. §. 37.), omnemque aequivocationem detegit. « Equidem (inquit) in illa grata sensatione, » quam mihi producit perceptio cujusdam actionis, nullimode » agnosco necessitatem et jussionem eam faciendi : ideoque » in ea non invenitur notio obligationis moralis. *Gratitudo » est cordi suavis : gratitudo est moralis obligatio et officium:* » hae duae propositiones inter se differunt; neque altera cer- » te alterius illatio est. Prima illa est propositio theoretica, » ea enim affirmat, ex perceptione gratitudinis hunc effectum » in nobis produci, scilicet sensationem suavem : attamen » nullum ea continet praeceptum, nullam necessitatem habendi » aut referendi gratias; ea non est lex moralis. Porro altera » propositio est practica; exhibet jussionem; ea est impera- » tivum absolutum : *gratiam habeto tuo benefactori*. In notio- » ne perceptionis gratae non equidem invenio jussionem ; » consequenter non invenio in ea legem, et obligationem mo- » ralem. Quanam metamorphosi sensatio vel sensus gratus » vertitur in praeceptum, evadit imperativum, et moralis o- » bligatio ? Haec simplex et praecisa animadversio invicte » demonstrat hujusce systematis vitium et falsitatem. »

Haec Galluppii responsio contra Davidis Humii systema evidens quidem est, et decretoria. Attamen ut omne dubium, quod hac de re a sentimentalistis moveri posset, penitus tollatur, animadvertendum censeo, sensus moralis notionem ab Humio traditam, non esse admodum rectam et adaequatam, cum eam facultatem esse definiat, qua inspectis actibus justis et honestis gratum animi sensum experimur; ex inhonestis autem et iniquis animi dolorem aversionemque sentimus. In hac enim definitione effectus a sensu morali productus confunditur cum ipso sensu morali. Sensus moralis non ad partem hominis inferiorem, seu sensitivam; verum ad superiorem, idest ad mentem pertinet: respicit nempe ordinem intellectualem ad humanos actus et mores accommodatum. Quid enim significare volumus cum ex. gr. splendidum quemdam humanitatis, mansuetudinis aut justitiae actum bonum esse dicimus; contra vero perfidam amici proditionem, aut crudele parricidium malum acerbissimum sentimus, et exhorremus? Nihil aliud sane nisi quod mens nostra alterum rectum esse et faciendum, alterum vero inordinatum ac omnino vitandum cognoscit, uno verbo mens *judicat* de rectitudine vel pravitate cujusdam actus in concreto. Hoc autem judicium sequitur tamquam effectus immediatus illa grata vel ingrata animi affectio, voluntatisque appetitio aut aversatio: nec non alii quoque producuntur motus in ipsa corporis machina, sanguinis et humorum perturbatio, aliaque hujusmodi. Verumtamen moralis sensus consistit in primo illo mentis actu, quo intuitive percipimus actionem quandam inhonestam esse, ac fugiendam, vel honestam et faciendam. Aut si quis malit sensum moralem complexive considerare una cum ceteris effectibus inde procedentibus, praetermitti certe ab eo non debet ille mentis actus, qui est principalis, ac fons et causa ceterorum supradictorum effectuum.

Jam vero ultro libenterque concedo, Deum sapientissimo consilio eam vim, seu sensum rationalem et moralem in hominis animo indidisse, ut cum ratio in mente perfecta sit,

quorumdam humanorum actuum, qui ad prima legis naturae praecepta referuntur, compendiario et quasi ex necessitate conceptus rectitudinem, aut pravitatem illico intueatur: talem, inquam, vim, quae hominis mentem ad haec judicia practica scilicet ad dictamina conscientiae efformanda naturali veluti instinctu immediate impellit. Haec porro conscientiae dictamina veram legis jussionem et moralem obligationem exhibent. Quamquam autem haec vera et perspecta sint; vera tamen prorsus non est consequentia, quam inde conantur inferre praescindentes, hunc scilicet sensum rationalem et moralem fontem esse ac *principium constitutivum* officiorum naturalium. Aliud est enim dicere, quod hic sensus moralis certiores nos faciat de quibusdam officiis, aliud autem, quod sensus iste officia constituat, homini imperet, legemque ferat. Cuilibet enim conscientiae dictamini (sive illud explicite et per partes efformetur, sive implicite, compendiario, et quodam quasi naturae impetu eliciatur) essentialis est legis jam praeexistentis et cognitae cum facto quodam individuali comparatio; ut actus ille mentis fieri possit, quo judicemus, aliquid hic et nunc faciendum vel omittendum esse aut fuisse tamquam bonum vel malum morale.

Si quis autem investigare velit, qui fieri possit, ut hominis mens quasi ex instinctu haec moralia dictamina eliciat; is facile cognoscet, quod cum ratio in mente perfecta est; ideoque ordinis cum physici, tum moralis, nec non Dei, ejusque providentiae notionem est adepta (sunt enim notiones istae arctissimo inter se vinculo colligatae ac fere aequipollentes), tunc actus illi, qui naturae ordini apprime conveniunt, illi autem, qui abnormiter eum perturbant, talem in se characterem, talem expressionem ac vultum, ut ita dicam, praeseferunt, ut nequeat intellectus noster eos rectos aut pravos non illico intueri. Intellectus autem novit, nostrum esse officium eos facere aut vitare, non ipse eis officii naturam tribuit, nec naturae legem ponit et sancit (1).

(1) Quea de morali sensu dixi, eadem omnia apprime conveniunt re-

Superest tertia opinio examinanda, quae affirmat, *naturam per se esse legislatricem.* Itaque statuunt hujus sententiae fautores per rectam rationem et moralem sensum, seu per aliud quodlibet internum adminiculum, legem naturae inter homines *promulgari*; rationem et moralem sensum esse veluti edictum ac praecones, qui nobis manifestant imperium absolutum cujusdam principii seu causae a nobis distinctae, cui omnes homines subsunt, scilicet manifestant quid omnino exigat ab hominibus *rerum naturalium ordo et systema naturae.* Itaque dum omnia entia irrationabilia obediunt naturae legibus, et nos ipsi hujus rerum universitatis harmoniam admiramur, nos, inquam, systematis naturalis pars nobilissima, si ordinem humanae naturae convenientem violemus, consulto adversamur, et obsistimus intentioni et legi, *matris naturae*: ideoque rebelles et rei dici merito deberemus.

Ut tertiam hanc praescindentium sententiam recte exa-

liquis philosophorum opinionibus, qui naturam interni hujus principii officia suggerentis diversa ratione concipiunt. Formae enim illae menti humanae essentiales, quas effingit Kantius, nihil aliud essent nisi facultas quaedam intellectus, quae eum deducit et cogit (ut ipse putat) ad judicia moralia *synthetica a priori* efformanda, quae continent conceptum legis et officiorum. Itidem in systemate idearum innatarum actio immediata Dei, ideas morales in animo imprimentis, homines de lege et de suis officiis monitos faceret. Et ut summatim dicam, sive sensus moralis, sive formae Kantianae, sive immediata Dei actio, aut quidquid praeterea opinari placeat, nihil profecto aliud esset, nisi naturale aut supernaturale auxilium mentis humanae imbecillitati datum, vel ad conceptum legis et officiorum in genere, vel in specie et in individuo ad conscientiae dictamina facilius efficienda. Scilicet haec facultas, seu vis, cujuscunque naturae sit, non ipsa jubet aut vetat (quod certe stultum et absurdum dictu foret, vim nempe physicam et praepotentem hominis intellectum cogere ad judicandum de iis, quorum valorem et convenientiam aut repugnantiam ignorat, ejusque voluntati legem obligationemque moralem imponere): non haec inquam vis legem ponit; sed naturalis legis, officiorum, et quorumdam dictaminum cognitionem homini tribuit. Ergo opiniones istae quoad quaestionem ideologicam de origine idearum moralium diversae inter se sunt, quoad nostram vero quaestionem de principio constitutivo legis naturalis ad unam reducuntur omnes: atque una eademque singulis responsio convenit, qua dicimus, internum hoc principium qualecumque sit, naturae legem quidem promulgare et applicare, nunquam vero ferre et sancire legem.

minemus, animadvertendum est, duplici tantum sensu naturae nomen accipi posse 1 enim intelligi potest natura *in concreto*, scilicet res omnes in mundo existentes ac praesertim homines cum suis facultatibus et indigentiis : 2 natura in *abstracto*, idest systema naturale seu rerum omnium ac virium coordinationem ec. Jam vero natura *in concreto* dici nullo pacto potest lex aut legislatrix. Natura enim hominis praecise spectata, ut talis essentia est (uti perspecte monet Suaresius *De Legibus* l. 2. c. 5) nec praecipit, nec ostendit honestatem aut malitiam, nec dirigit, nec illuminat, nec alium effectum legis proprium habet; sed est tantum materia, fundamentum et mensura rectitudinis actus lege praecepti, vel turpitudinis actus lege prohibiti: ita ex. gr. indigentia pauperis, et facultas divitis est fundamentum et mensura honestatis vel obligationis actus eleemosinae; et tamen nemo dicit, necessitatem pauperis esse legem vel ferre legem eleemosinae: simili modo, ait D. Thomas (2. 2. q. 141. a 6.) necessitatem corporis esse regulam temperantiae, beatitatem esse regulam actuum humanorum quatenus honesti sunt. Item finis est regula et mensura mediorum, et objectum est regula et mensura actuum ; nemo tamen haec omnia dicit legem esse, aut constituere et sancire legem, nisi valde aequivoce et metaphorice nomine legis et legislatoris uti velit.

Sin autem *natura in abstracto* consideretur, equidem respondeo *naturam, ordinem naturalem, harmoniam, systema naturae*, et quidvis hujusmodi, eo sensu acceptum, ut intelligatur supremum principium cogens et imperans, seu causa et ens sapientissimum, quod hominibus absolute praecipiat, ut convenienter naturali suae conditioni vivant, et ad praestitutum finem omnino perveniant, est mera nostrae mentis abstractio, seu ens logicum, quod realitatem non habet, nisi in ratione et voluntate Auctoris naturae. Scilicet existunt quidem res naturales miro ordine dispositae; sed hujus ordinis conceptus, scopus et consilium non est nisi in mente Creatoris omnia moderantis, et in creaturae rationalis men-

te, quae res creatas contemplans agnoscit Dei sapientiam, ejusque voluntatis decretum in rerum naturalium dispositione et ordinatione. Si ergo, id quod evidens est, ad ideam legis et obligationis moralis constituendam necessaria est causa realis suprema et intelligens, quae omnia summa sapientia ordinet, atque omnibus hominibus suum finem et media praescribat; non hanc dicant *naturam, systema naturale* vel similia : quia pro basi legis et obligationis moralis ponerent id quod revera non est: his abstractis vocabulis substituant *Deum* ; tunc proprie et philosophice loquentur. Relinquantur poesi verba metaphorica et translata. Philosophus in determinandis simplicibus scientiae criteriis nonnisi vocabulis propriis utatur.

At enim insistunt qui subtilius et nervosius hac de re disserunt, ajentes, se naturae nomine non ens quoddam sapientia et voluntate pollens, sed ipsam *naturam actuum humanorum* intelligere, quatenus hominis proprietatibus ejusque naturali statui necessario conveniunt, vel eidem directe repugnant. Etenim actus morales habent suas intrinsecas naturas et essentias immutabiles : sunt nempe aliquae actiones ita intrinsece malae ex natura sua, ut nullimode pendeant in malitia ex prohibitione extrinseca, nec ex judicio et voluntate divina; itemque sunt aliae actiones ita intrinsece bonae et honestae, ut in hoc etiam non pendeant a causa extrinseca. Haec igitur *essentialis et necessaria congruentia aut repugnantia actuum humanorum cum natura rationali per se vim legis habet.* Quemadmodum enim conceptus theoretici necessariam idearum relationem exhibentes cogunt hominis intellectum ad assensum : ita conceptus isti practici omnino convenientes aut repugnantes hominis naturae ejusque fini, ejusdem voluntatem moraliter obligant, utpote qui absolutam necessitatem operandi vel abstinendi exhibent, ut quisque convenienter naturae suae vivat.

Ad apparentem hujus argumenti vim penitus tollendam cum distinctione respondeo : *essentialis et necessaria convenien-*

tia, aut repugnantia actuum humanorum cum natura rationali est per se lex et obligatio diversa omnino ab ea, quam omnes revera norunt, transeat : est lex et obligatio proprie dicta, uti in omnium hominum conceptu est, nego. Itaque haec duo dico : 1. quod si concederetur, ipsam actuum humanorum naturam per se exhibere necessitatem practicam et absolutam, tamen ea non daret conceptum adaequatum legis proprie dictae ; 2. autem nego omnino, sine Dei legislatoris idea necessitatem hanc practicam et absolutam dari et concipi unquam posse. Et re quidem vera quoad I., nos hic non loquimur de quavis morum regula et de lege in abstracto, ac lato sensu accepta, sed de ea legis moralis notione, quam in concreto omnes habent. Iam vero in lege sive naturali sive positiva omnes cognoscunt, non merum indicativum rectitudinis aut inordinationis, sed imperativum absolutum, scilicet jussionem, prohibitionem, et sanctionem, quae homines moraliter obliget, idest necessitatem in conscientia obediendi imponat, eorumque voluntatem per aequam praemiorum poenarumque sanctionem moveat et moraliter cogat ad opus: quae omnia necessario supponunt actum judicii et voluntatis supremi imperantis, cui homines subditi sint, eique parere teneantur. Hae sunt notiones legum, praeceptorum et officiorum, quas ne dum sapientes, sed universum hominum genus habet et praedicat. Atqui hae certe non reperiuntur in theoretica illa convenientiae aut repugnantiae relatione ab intellectu percepta.

Sed jam nunc quaero, an sine divinae providentiae notione subsistere et concipi possit absoluta illa necessitas, idest necessaria convenientia aut repugnantia actuum humanorum cum hominis natura ejusque fine ? Hoc prorsus nego. Praeter quamquod enim impossibile censeo, haberi posse conceptum ordinis moralis, quin eodem tempore habeatur idea Dei naturae auctoris ac legislatoris, et in altera vita remuneratoris et vindicis, dico insuper, quod si possibilis supponatur praecisio illa mentalis, tamen nunquam stare et concipi pos-

set absoluta necessitas, sed tantum hypothetica et conditionata. Etenim si demas officia adversus Deum, cetera vel omnia vel certe maxima ex parte ea sunt, quae aliorum jura ac praesertim universae societatis custodiam spectant. Jam vero concedo equidem per rationem optime cognosci posse, officia justitiae, humanitatis, beneficentiae, et honestatis omnia cum ad privatum aliorum, tum ad publicum societatis bonum procurandum esse pernecessaria. At si Dei idea, eadem haec officia singulis hominibus praecipientis, et in altera vita remunerantis ac punientis, tollatur; nullo modo stare et concipi potest necessaria convenientia illorum officiorum cum natura individuali hominis, qui ea praestare debet, et cum ejusdem fine. Qua enim ratione cognosci posset, quod homo etiam omnia bona sua amittere, adversa pati, et mortem quoque, si necesse sit, oppetere debeat, ut aliorum commodo, et societati serviatur? Certe nullo modo. Ergo ne illa quidem subsistere et concipi posset absoluta theoretica necessitas, sed tantummodo hypothetica et conditionata, quae nullam certe neque impropriam legis et obligationis moralis notionem exhibet.

Cum itaque (ut superius declaratum est) quatuor tantum hypotheses specifice inter se diversae de principio constitutivo legis naturalis effingi possint, scilicet vel *rectam rationem* per se legem esse, vel *internum quoddam principium* immediate imperans, vel *naturam*, vel tandem supremi *naturae auctoris imperium;* cumque tres illae primae undequaque falsae repertae sint, concludendum est, veram esse postremam.

Corollarium. Quae cum ita sint, apparet falsitas quarumdam propositionum, quae ab omnibus sanae mentis philosophis improbantur, quaeque a nullo alio fonte derivantur, nisi a falso praescindentium systemate ex. gr. cum indifferentia et contemptu religionis, aut etiam cum incredulitate dari posse illibatam morum honestatem ac probitatem; optimam atheorum rempublicam consistere posse omnium socialium of-

ficiorum genere ornatam. Hic autem praecipue notandum puto quorumdam moralistarum opinionem de possibilitate *peccati*, ut ajunt, *mere philosophici*. Isti putant dari posse humanum actum, qui de proprie dicta injustitia et inhonestate tantummodo in naturae et philosophiae tribunali homini imputetur: quamvis coram Deo homo ille omni culpa vacet, nullique divinae punitioni subjiciatur. Animadvertendum est, sermonem hic non esse de actibus indeliberatis, aut ex inculpabili ignorantia factis, idest de peccato, ut dici solet, *materiali;* itemque non agitur de peccato improprio et latiori sensu accepto, quemadmodum sunt errores et defectus omnes qui in ratiociniis et in artibus fiunt; agitur de veri nominis *peccato formali*, seu de voluntaria legis moralis transgressione: ideoque de actibus vere humanis et moralibus, scilicet cum plena legis cognitione, cum particulari conscientiae dictamine, et cum plena deliberatione peractis.

Jam vero si, ut demonstravimus, sine notione Dei imperantis accuratam ordinis naturalis custodiam nullo modo haberi potest conceptus moralium quarumvis obligationum et officiorum; sequitur impossibile esse, ut in homine reperiatur veri nominis injustitia et improbitas, quin in Dei tribunali iniquus et improbus ipso facto constituatur. Ideoque falsa est prorsus opinio de *peccato mere philosophico*, et jure sapienterque ab Ecclesiae judicio damnata (1), utpote quae et falsa omnino est, et necessario supponit erroneum ac perniciosum praescindentium systema, quod cum religionis contemptum in hominum animos insinuet, tam Dei quam hominum juribus, bonisque moribus adversatur. Nullam enim

(1) Alexander VIII die 24 aug. 1690 proscripsit tamquam *scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, et erroneam* propositionem sequentem n. 2. « Peccatum philosophicum seu morale est actus » humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi: theologi- » cum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophi- » cum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu » non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque poena aeterna dignum ».

fidem, nullam honestatem, nullam virtutem reperias in homine, in cujus animo religio firmas non egerit radices. Minime autem esset improbanda opinio *de peccato mere philosophico*, si vera esset praescindentium assertio, scilicet sine Dei imperio, ejusque providentiae notione, universam naturae legem et verum obligationis moralis conceptum haberi posse.

§. II. Quoad alteram porro praescindentium systematis partem, dico, *sine Dei notione naturalia praecepta sancientis, et pro cujusque bonis vel malis meritis praemia ac poenas in altera vita impertientis, necessariam legis naturalis sanctionem dari nullo pacto posse.*

Ut autem adaequata sit eorum confutatio animadverto, quod si e medio tollantur praemia et poenae, quae a supremo remuneratore, et vindice Deo in altera vita pro cujusque meritis aequissime rependantur, bona et mala hujus vitae, quae sint motiva et merces actuum bonorum et malorum, duplicis tantummodo generis esse possunt; vel bona et mala temporalia, quae tamquam effectus a virtutibus et vitiis producantur, uti censent fautores systematis de *amore mercenario virtutis*; vel bonum et malum, quod in ipsa virtute et vitio continetur, quemadmodum putant sectatores systematis *de amore puro et gratuito virtutis.*

Jam vero omnia primae sententiae momenta ad haec reducuntur. Certum exploratumque esse, ajunt, morum regulas nedum peropportunas verum etiam necessarias esse, ut tranquillus et florens societatis status habeatur. Ex societate autem ordinata et florenti minima de malis, et maxima de hujus vitae bonis cum universae societati, tum singulis juste et honeste se habentibus evenire. Quapropter homo, suae utilitatis et felicitatis desiderium recta ratione examinans et constantes suae vitae honeste degendae regulas novit, et ei praesto sunt motiva validissima ad suam voluntatem in officio continendam. Quibus naturalibus, ut ita dicam, virtu-

tum fructibus, accedunt alia firmissima a civili regimine superaddita praesidia. Supremi namque Imperantes per suas leges opportuna sanctione munitas, et per suos magistratus vitia coercent, fovent bonos mores.

At enim quoad primum dico, in abstracto fortasse deduci posse singulis honestatis, et justitiae cultoribus minima de malis et maxima de bonis hujus mortalis vitae certa parataque esse, scilicet honores, volnptates, opes, bona valetudo : in concreto autem et in facto negandum omnino. Namque in propriae utilitatis computatione non id considerari debet, quod fieri posset, aut quomodo se res habere deberent, vel quid aliquando contingat: sed quid utilitatis sibi confidere quisque et pro certo expectare possit ex suis actibus eventurum. Jam vero si omnium populorum historias consulas ab Abele ad haec usque tempora, nihil magis commune, et frequentius invenies, quam viros honestos, et probos, quique in aliorum utilitatem toto vitae spatio sese dediderunt, miseros, contemptos, quandoque etiam dire exagitatos et oppressos: improbos vero copiis, divitiis, honoribus, bonis omnibus affluentes.

Sed his omnibus tam pessime repensis hominum meritis praetermissis, quae tamen passim et in quavis vel ordinatissima civitate, sive ex ignorantia et errore, sive fraude et malitia, sive fatali, ut ita dicam, calamitate evenire videmus: nihil exploratius quam regna, imperia, nobilitates, honores, eaque quae sunt his contraria, in casu posita temporibus gubernari, omnia hujus terrae bona vitamque ipsam fortunae temeritati subesse : contra vero virtutis semitam perdifficilem et asperam; eamque sectantibus multa et certa incommoda subeunda, multa bona relinquenda. Nam omnia officia exigunt ab hominibus labores, molestias, ut animi motus coerceantur. Persaepe misera aliorum conditio, multoque magis parentum, filiorum, amicorum status exigit, ut multa eis de nostris bonis tribuamus, et incommoda multa perferamus. Heroicae vero omnes virtutes, quae vel imperant

omnino, vel saltem suadent, ut propriam quamque utilitatem, vitamque ipsam aliorum saluti, ac praesertim communi utilitati ultro demus, si ex ratione praescindentium philosophorum expendantur, omnes inquam de albo virtutum delendae sunt, et inter fanatica facinora recensendae. Si enim omnem officiorum scopum eo dirigendum dicas, ut mihi bene beateque sit in hac vita; haec omnia virtutum sacrificia irrationabilia forent. « Itaque negligere (Guil. Got. Leibnitius » ep. ad Ger. Wolth Molanum quae est 16 t. 2. epist. ad di» versos) hic futurae vitae curam, quae cum providentia » divina inseparabiliter connexa est, et contentum esse in» feriori quodam juris naturae gradu, qui etiam apud » atheum valere possit, est scientiam pulcherrima sui parte » mutilare, et multa hujus quoque vitae officia tollere. Cur » enim aliquis pro charitatibus, pro patria, pro recto et justo » discrimen fortunarum, dignitatum, vitaeque ipsius subeat, si » eversis aliorum rebus, ipse consulere sibi, et in honore et » opulentia vitam ducere possit? Nam uni nominis immor» talitati, famaeque posthumae, idest rumoribus, unde ni» hil ad nos pertineat, vera et solida bona posthabere, quid » aliud quam splendidissima stultitia fuerit? »

Quod si adversariis liberaliter concedatur, non temere et inique hujus vitae bona hominibus distribui, sed omnes et singulos qui contra animi motus constanter et viriliter pugnant, socialiaque officia studiose colunt, eis optimam vitae rationem reservatam esse, et quo majorem in aliorum felicitatem procurandam operam impendunt, eo magis propriam utilitatem solidam et certam facere: tamen haec nullo pacto valere possent ad dictamina moralia eadem et firma in hominum mente retinenda, et ad eorum voluntatem sibi conciliandam, et alliciendam. 1. Enim maxima hominum pars ea prudentia et sapientia caret, qua in tantis rerum humanarum vicissitudinibus possint totius vitae cursum prospicere, et tamquam optimi mercatores etiam feminae, adolescentuli, et agricolae hanc officiorum negotiationem perspicere: sicut

philosophi isti tanta subtilitate et diligentia ex longa et perdifficili analysi demonstrari posse arbitrantur. 2. Etiamsi autem haec omnia certa et rata omnes haberent, nihilominus insufficiens prorsus moralitatis fulcimentum haec cognitio foret. Etenim finis humanarum actionum in hoc systemate positus est in privata vitae hujus utilitate et voluptate: idea autem utilitatis et voluptatis in rebus humanis non eadem omnibus est, sed variabilis juxta varias modificationes animi humani, quae pendent ex physicis proprietatibus et dispositionibus, ex temperamento, indole, educatione, et innumeris aliis temporum, locorum, et personarum circumstantiis. Quare nonnulli fortasse optimum factu putarent, si omnes sensuum illecebras, et violentos quosque animi motus coerceant, et appetitus rationi obedientes faciant. Alii quamplurimi hanc humanam animi satisfactionem, et gloriam non tanti faciendam censerent, et potius sensuum voluptatem, et morum licentiam aerumnosae illi conditioni praeferrent. Qui optima valetudine et secunda fortuna uteretur, suae vitae curam maximam haberet; qui nusquam nisi dolores, ignominias, et omnia adversa prospiceret, optimum consilium duceret finem malorum morte voluntaria oppetere. Qui placidiores, et humaniores natura forent, animi culturam et societatem adamarent; qui difficiliori et cynica indole imbuti sint, hominum consortium fugerent, et aurei saeculi libertatem otiumque exoptarent. Itaque principium utilitatis fere in infinitum variabile est, et quot capita sunt, totidem idola quae colerent sibi quisque effingeret: 3. tandem, si ut ajunt eudemonistae, ideo omnia justitiae honestatisque officia praestamus, quia haec necessaria novimus ad societatem cum caeteris hominibus retinendam, et nonnisi in tranquilla societate maxima vitae hujus pericula effugi posse, ex eaque omnigena bona consequimur: igitur non mihi necessaria est vera illa et generalis, et studiosa officiorum omnium religio, quae in viro probo et honesto esse debet; sufficit simulata virtutis species. Satis erit si communia officia praestem, in ceteris autem negligendis

vel infringendis, dummodo caute me geram ut publicam animadversionem devitem, quis jure reprehendat? Societas erga me eodem modo procedet, sive haec aut illa officia servaverim, sive violarim. Si sola utilitas hujus vitae justi et aequi mater mihi et norma sit, adeo ut omnis officiorum socialium custodia ex privata utilitate dimetiatur; sequitur ex hac doctrina, ait Galluppius, quod civis quoties sive fraude, sive aperta vi pacta et leges violare possit, et haec violatio illi profutura sit, lex naturalis quae pacta servare et civilibus legibus obedire jubet, commutatur in oppositum: *pacta ne serves: civiles leges conculca.* Vir quidam meae fidei depositum committit: chirographus amittitur: nemo adest facti testis: utile mihi sit depositum negare. Lex igitur *redde depositum* in aliam convertitur: nega depositum. Uno verbo in hac philosophia, quo quisque sit astutior, eo sapientior.

Quid porro dicendum de validissimis illis praesidiis, quibus in commentitia quoque Atheorum republica a supremo regimine virtus munita et circumsepta jactitatur? Supposita existentia supremae hujus civilis potestatis, quae in atheorum populo per suam auctoritatem legislativam, judiciariam, coactivam nonnisi justitiam honestatemque in suis subditis fovere studiosissime intendat, et vitia omnia removere, (quod certe negari jure posset), quaero equidem, utrum haec civilis auctoritas justitiae honestatique naturali efficax subsidium ferre posset, et optimum suum propositum exequi? Negat omnino Nicolaus Spedalieri, et integro fere secundo libro operis cit. oppositum egregie demonstrat. Nos paucis rem omnem complectemur. Dico itaque, civile regimen religionis praesidio orbatum, etiamsi velit, non posse omnino universam naturae legem tueri (de universa enim justitia et honestate sermo est), nec efficacia motiva ponere ad mores regendos, et virtutes promovendas. Id evidens fiet, si consideremus 1. quousque inspicere et suas vires extendere possit auctoritas legislativa, judiciaria, coactiva civilis regiminis, seu quod sit vel esse possit ejus objectum. 2. quae media illi praesto sint, ut ea quae intendit consequatur.

Lex naturalis, sublatis theologicis, complectitur officia suam cujusque curam, et societatis custodiam respicientia: haec autem duplicis generis sunt, vel quae praecipiunt aut suadent ea quae facienda sunt; vel quae injusta et inhonesta vetant. Jam vero de omnibus positivis officiis, quae ab individualibus circumstantiis determinantur, vel nihil vel admodum parum praecipere et providere potest civilis princeps: ejus igitur providentiae reservata est animadversio contra injustitias et crimina. Verum omnia vitia et peccata mere interna, vel ea quae si opere complentur, quamvis atrocissima sint crimina, tamen penitus occulta remanent, nec non bene multa et gravia contra legem naturae peccata palam commissa, quae cum directe status civilis incolumitati non officiant, a civili potestate tolerantur, et aliquando suis quoque decretis lex civilis temperat et moderatur: haec, inquam, omnia tuto committi possent, tamquam civile regimen nullum foret. Igitur maximum civilis curae objectum consistit in vetandis et coercendis gravioribus quibusdam criminibus, nempe latrocinio, homicidio, adulterio, et similibus; cumque haec non quidem cogitata, praeparata, vel intentata sint; sed plene palamque perpetrata et juxta omnes formas judiciarias probata, tunc denique supremae potestatis animadversioni subduntur.

Quae autem media habet civilis imperans ad comprimenda crimina, et virtutes alendas? Media communia et potiora quae habet, sunt ea quae timorem excitant in populo publicae vindictae. Nam si excipias praeclaros quosdam de patria optime meritos cives, qui aliquo dignitatis gradu, vel publico munere decorentur, aut de communi aerario augeantur: quoad caetera civilia officia, non suppetunt politicae potestati media, quae per amoris excitamentum ad virtutem alliciant. Jam vero ut haec timoris media efficacia sint ad hominum voluntatem permovendam, et a criminibus deterrendam, debent esse ejusmodi, quae gravem injiciant timorem, adeo ut passionum incitamenta, quae in violationem

legis nos impellunt, comprimi facile possint. Timor autem gravis non excitatur nisi sit malum grave, idque et grave et imminens et indeclinabile apprehendatur; mala enim quamvis gravissima, nisi animadvertantur, neque nobis impendentia et probabilia videantur, nullam animi trepidationem excitant. Itaque timor potius ex subiecti natura, educatione, statu, circumstantiis, et perceptione, quam ex natura periculi, aut mali impendentis dimetiendus est. Verum universa codicis criminalis sanctio consistit (nec aliter fieri posset) in generali sanctione, quae statuit juxta criminum gravitatem poenas plus minusve graves, utpote mulctas pecuniarias, carceres, verberationes, exilium, et aliquo perraro in casu mortem. Scilicet sunt omnia haec velut ea medicamenta, quae empirica appellantur. Quare ne ad ea quidem pauca crimina in omnibus subditis removenda poenales hujusmodi sanctiones juvant. Namque homo aut odio, aut libidine, aut alia perturbatione animi incitatus vel nullum animadvertit periculum, vel suum facinus facile se celaturum putat, vel si certo carceres, exilium aliaque hujusmodi sibi praeparata videat, pro nihilo ducit. Et si qui forent, qui infamiae et poenarum metu, aut utilitate aliqua atque fructu non honestate moveantur ad crimina vitanda, ii callidi, non boni appellandi sunt. « Nam quid faciet is homo in tenebris, qui ni-
» hil timet nisi testem, et judicem? Quid in deserto loco na-
» ctus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum atque
» solum? Noster quidem hic natura justus vir ac bonus,
» etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet: is vero qui
» nihil alterius causa facit, et metitur suis commodis omnia,
» videtis, credo quid sit acturus. Quod si negabit, se illi vi-
» tam erepturum et aurum ablaturum, nunquam ob eam
« causam negabit, quod id natura turpe judicet; sed quod
» metuat, ne emanet, idest ne malum habeat. O rem dignam,
» in qua non modo docti, verum etiam agrestes erubescant! »
Cic. de legib. l. 1. c. 14.

Alterius systematis sectatores stoici, rationalistae puri,

et sentimentalistae ultro fatentur, nullam generalem et firmam officiorum normam, nullum virtutis praesidium in ratione privatae et terrenae utilitatis esse posse. Attamen cum omnia morum praecepta sint leges necessariae, quae humanum genus in suo ordine servent: haec homo sive in secundis rebus, sive in adversis eadem semper, et stabilia, et conjuncta naturae intuetur et sentit: et modo ne sit ex pecudum genere, in una virtute vel solum vel summum suum bonum ducit: et nihil tristius et infelicius ejus cordi, quam vitiorum et scelerum conscientia.

Haec recte quidem et vere; si tamen cum orthodoxis Dei et alterius vitae notionibus copulentur. Sin autem omnes hominis actus in hac vita definiantur, nullique supremo legislatori ac judici, sed suae tantum conscientiae responsabilis homo sit; quaererem in primis ab hujusmodi philosophis, utrum amor iste purus honesti et justi, et odium inhonesti et injusti, cum virtus in hac vita miserrima esset, et vitium redundaret terrenis bonis, in hominum corde inveniretur; an potius res diversimode se haberet? Ratio dubitandi haec est. Ex demonstratis (art. 2. hujus cap. 3.) quotquot extitere homines qui moralia noverint, semper, ubique omnes cum providentiae divinae et futurae vitae notione moralem ordinem intuiti sunt. Praeterea, quod item mox demonstratum est, nullum verae obligationis moralis conceptum haberi posse sine Dei imperio. Ubi igitur virtutis et vitii notio et sensus reperiatur in hoc hypothetico hominis statu? Cum autem moralis sensus sit amor ordinis; cumque ordo consistat in proportione mediorum cum suis finibus: commutato ultimo fine hominis, et in hujus vitae spatio circumscripto, sensus moralis etiam videtur commutandus.

Verum hisce omnibus praetermissis, quae tamen sola evertunt hoc systema; cum enim de fundamentis scientiae moralis agatur, haec vera et certa sint oportet, ne scientia universa nutet: his inquam praetermissis, dico. Esto; supponatur exquisitissimum moralem sensum in homine esse sine

ulla relatione cum Deo et futura vita; attamen nullo modo hic sensus posset hominem in officiis regere et continere: hoc autem duplici de causa affirmo. Primo enim cum ex demonstratis (sect. 1. cap. 2. ar. 2.) sensus moralis per se falli ac vitiari facillime possit, ideoque recta ratione dirigendus et informandus, ut habeatur ordo amoris, seu verae virtutis sensus, et amor; ideoque videndum est, utrum in sensu morali seu amore virtutis habeatur ordo amoris, cum virtus despecta et oppressa est; et qui eam colit incommoda multa perfert, et vitae ipsius discrimen subit, quae facile vitare possit si a justitia et honestate decedat. Ajunt laudati philosophi moralia omnia officia esse regulas necessarias ad hominum societatem servandam perficiendamque. Ideoque qui ea diligit et colit, in eo est ordo amoris. Verum hi non rem undequaque considerant. Homo enim suae naturae renuntiare nequit, qua necessario ad propriam felicitatem trahitur. Itaque amare alios sicut seipsum in naturae ordine scriptum lego: amare alios, posthabita sui ipsius cura, imo cum omnimoda sui ipsius ruina, in naturae ordine non video. Equidem Platonis sententiam quodammodo intelligo, quamvis nimis sublimem et a communi hominum vita nimis abstractam, qui separando hominem ab omnibus sensibilibus, in *archetypa* virtutis et sapientiae idea in Deo contemplanda, et in futura vita in coelis perficienda summam hominis beatitudinem collocabat: hac inquam doctrina qui plene fuerit imbutus, recte terrena omnia bona contempserit una virtute contentus. Multoque magis haec recta et ordinata apparent in doctrina quam nos defendimus, qui principium omnium officiorum in Dei ratione et imperio ponimus, et ultimam hominis beatitudinem per virtutum exercitium obtinendam in futura vita et in Deo ipso collocamus; quid enim rationi conformius et rectius quam hujus vitae bonis uti sine alienorum jurium laesione, aliorumque felicitatem etiam atque etiam procurare, et si opus fuerit, omnia nostra, vitamque ipsam pro aliorum salute profundere, cum persuasi

simus, nos a Deo O. M. centuplum recepturos, et vitam aeternam consecuturos? At perdere seipsum (ut in adversariorum systemate asseritur) ut alii salvi fiant: est seipsum odisse ut alios amemus, quo nihil inordinatius et magis naturae contrarium dici potest. Si enim ordo consistit in proportione mediorum cum suis finibus, et in aequa finium collocatione, primo loco ponendus est finis ultimus uniuscujusque, seu propria beatitudo ; secundo loco erit aliorum felicitas. Si igitur omnis hominis felicitas in mundo definiatur, equidem studere debeo alienae utilitati, dummodo mea felicitas salva sit. Sin vero contingat , ut virtus mihi maxima vitae detrimenta afferat, vel etiam omnium jacturam; sequar opposita dictamina , quae me incolumem faciant. Neque haec in ratione iniquitatis, et turpitudinis dicenda amplius forent: cum in his habeatur ordo mediorum et finium. Quod si sensus moralis forte repugnaverit fraudi , vel cuivis facinori quod necessarium sit, ut sua bona , vel vita servetur : vir sapiens hunc animi motum contemnendum putabit, quemadmodum chirurgus non abstinet manus et ferrum ab eo qui gravissime brachio vel pede laborat, et sensum malae commiserationis refraenat, ut eum sanitati restituat. Ita judex in ferenda capitis sententia in sontes: et ita porro centena hujusmodi alia quae referri possent. Tandem ut horum praescindentium opinio undequaque infirma et falsa revincatur, addo. Supponamus hominem omni religione et supernaturali fine destitutum, qui rectissime de honestate et virtute sentiat, itemque rectam rationem eidem confimare, nihil praeclarius se facere posse, quam virtutem prae ceteris mundi bonis ducere, eamque in adversa quoque fortuna, et vel cum vitae detrimento colere. Attamen dico, haec splendidissima sensus moralis, rectaeque rationis dictamina insufficientia omnino esse ad hominum voluntatem inclinandam et in officio continendam. Hoc sapienter conficit Nicolaus Spedalieri (Diritti dell'uomo l. 2. c. 2.) cujus ratiocinationis summa haec est.

Quamquam homo indifferentiae libertate polleat, ideoque

ejus voluntas vi praecedentium motivorum non determinetur; tamen generali experientia certum est, homines conglobatim consideratos, in sua agendi ratione sequi semper motiva, quae graviora putant. Consideremus itaque quae diversa et opposita motiva ei praesto esse possunt, qui nec Dei legislationem noverit, et nihil timeat aut speret post mortem, quaeque sit relativa eorundem vis; an scilicet valeat ad eum in honesta et justa inclinandum, an potius ad opposita. Homines in eorum reali statu considerare debemus, scilicet in conflictu sensitivi appetitus cum appetitu rationali. Jam vero si appareat vel minimum passionum vim in hominibus praevalere rationali appetitui, concludendum illico erit, inanem et nullius effectus prorsus futuram quamvis conscientiae vocem. Quid vero dicemus, si maxima differentia intercesserit? Certum itaque est, duplicem esse *vim animorum atque naturae, una pars in appetitu posita est quae est ορμη graeca, quae hominem huc et illuc rapit; altera in ratione, quae docet quid faciendum fugiendumve sit* (Cic. de off.); omnes sentiunt hanc pugnam sensitivi appetitus cum rationali. Cum vero reprehesentatur objectum, quod vel libidinem vel odium et iram concitat, appetitus sensitivus est vehemens et ardens; sensus autem erga virtutem debilis et anceps. Igitur ex facili et comuni omnium hominum experientia patet, quae sint potiora motiva. Philosophia autem nos edocet, propensiones et appetitus nostros esse *in ratione directa* claritatis, et vis idearum. Atqui objecta externa, quae sensus nostros afficiunt ob assiduum commercium, immediatam relationem, et intuitivam reprehesentationem bonorum, et malorum physicorum vividiora sunt, et appetitus vehementer excitant: contra vero ut virtutis conceptus vim habeat, opus est abstractione, quiete, meditatione, et impetus passionum coercendi et removendi sunt. Praeterea appetitus sensitivus fertur in bona physica, quorum privatio adeo molesta est, ut corporis machina violenter exagitetur, et aliquando ipsa nostra incolumitas et vita periclitetur. At bonorum intellectualium priva-

tio non ita anxios, et miseros nos facit. Itaque ablata efficacissima Dei remuneratoris et vindicis idea, virtus nobis admirabilis veluti pictura quaedam appareret, voluntatem autem non moveret ad ardua sua praecepta sectanda.

Quid de conscientiae stimulis dicemus? Primum hi pendent a mali moralis admissi cognitione, quam, ex demonstratis, atheus vel nullam haberet, vel levissima, et contemnenda ei esset. Dein usu et mala consuetudine criminis apprehensio evanescit. Tandem remordet conscientia ob sententiam, quam sontes in seipsos ferunt: verum judex in causa propria multimodis suam agendi rationem excusat; et vel propria aliqua bona, quae in quovis etiam flagitiosissimo inveniuntur, considerat, et cum his compensat sua vitia, vel alio divertit mentem, quoad suorum criminum eum capiat oblivio. Quibus ex rebus sequitur quod in facto virtutis stimulus et vis relate ad oppositum impetum et vehementem oblectationem sensitivi appetitus fere pro nihilo reputatur.

Haec quae retulimus a Spedalierio sapienter disputata, simplicissima et pervulgata experientia confirmari possunt. Enim vero viri justi et honesti, qui etiam in difficilioribus vitae casibus a virtutis tramite non recedunt, omnibus gentibus semper admirationi fuere, summisque laudibus commendati. Quin etiam penes Christifideles nonne veluti heroes habentur innocentes, vel qui a vitiis ad meliorem frugem conversi constanti emendationi student? Quamquam nulla unquam natio fuerit, quae praeter humana non etiam divina motiva, ac futurae vitae praemia et poenas noverit. Nos autem nedum rationis lumine, sed infallibili quoque revelationis oraculo certi sumus de Deo remuneratore ac vindice, cujus rei claram, distinctam, et summae vis notionem habemus. Cur igitur vera virtus adeo rara? Cur haec universalis admiratio? Quia ardua virtutis via est, validissimis cupiditatibus adversantibus, licet futurae vitae motiva firmissima persuasione et in maxima sua vi teneamus. Quid fieret si haec penitus tollerentur?

Itaque ex his omnibus, quae hoc paragrafo disseruimus, aperte patet, nullius momenti per se esse ea omnia, quae sive ex ratione propriae cujusque terrenae utilitatis, sive ex amore puro et gratuito virtutis proferri possunt. Sublatis igitur iis motivis, quae maxima, scilicet theologicis, quaeque sola reliquis etiam motivis vim dare possunt, deest necessaria legis naturalis sanctio.

Quae cum ita sint, cum directe et apodictice demonstratum sit (art. 1) Deum essentialiter naturae legis latorem esse: idque ex facto philosophico apprime sit confirmatum (art. 2); cumque omnes possibiles praescindentium hypotheses de principio constitutivo legis naturalis, tum quoad absolutam jussionem et internam conscientiae obligationem, tum quoad sanctionem, seu externam, ut dici solet, legis obligationem, absurdas et falsas esse constet (art. 3), plenissime demonstratum, censeo, Dei notionem essentialem esse conceptui legis naturalis, ejusque custodiae, quam qui tollendam aut minuendam dicit, funditus ex hominum mente et opere moralitatem tollit. Itaque primum et fundamentale universae philosophiae moralis dogma esto. *Principium constitutivum legis naturalis nullum aliud esse posse nisi rationem et voluntatem Dei ordinem naturalem homini convenientem conservari jubentis, perturbari vetantis.*



SECTIO TERTIA

DE LEGUM, OBLIGATIONUM ET JURIUM PARTITIONE AC NATURA.



CAPUT PRIMUM

PRAECIPUAE NOTIONES DE LEGIBUS CUM IN GENERE TUM IN SPECIE.

ARTICULUS I.

De lege generatim.

Quidquid de legis etymologia opinari placeat, sive a legendo aut eligendo, sive a ligando aut obligando derivetur, id enim parum refert, lex, inquam, non latiori et metaphorico, sed stricto et proprio sensu accepta, cum D. Thoma (1. 2. q. 90. a. 4.) definiri recte potest, *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui communitatis curam habet promulgata*, scilicet in qualibet proprie dicta lege requiritur. 1. Legislator, idest persona sive physica sive moralis, quae curam habeat cujusdam communitatis perfectae, cum supremo et adaequato jure imperandi, providendi, et exequendi quidquid publico reipublicae bono expediat. *Perfecta* autem ab *imperfecta* communitate a philosophis, et jurisperitis ita distingui solet, ut, quae sibi sufficiens est ac propria potestate jurisdictionis seu dominativa regitur, ea perfecta censeatur, e contra imperfecta. 2. Porro haec suprema auctoritas statuere debet decretum generale aequitati et rationi consonum, scilicet ordinationem imperativam universos subditos comprehendentem, cujus aequitas et rectitudo ex fine ipsius societatis dimetiri debet, adeo ut ea omnia, quae in commune bonum imperantur, aequa, recta,

seu rationis ordinationes censeantur: secus iniqua. « Rationis » enim est ordinare ad finem, qui est primum principium » in agendis secundum philosophum. Cum omnis pars ordi» netur ad totum sicut imperfectum ad perfectum: unus » autem homo est pars communitatis perfectae: necesse est, » quod lex proprie respiciat ordinem ad felicitatem commu» nem ». (D. Th. loc. cit. a. 2.). 3. Tandem principis decreta *promulgari* debent, ut propriam legis vim obtineant. Nisi enim existat persona cum supremo jure imperandi, aut si sua potestate legislativa uti nolit, aut si iniqua et irrationabilia jubeat, deest omnino causa, quae obligationem obediendi in subditis producat; vel quia deest radicaliter jus, vel quia supremus Princeps eo non utitur, vel quia illegitime utens irrita et extra jus sunt ea quae decernit. Deficiente autem jure, correlata obligatio extare nequit. Ordinatio autem quamvis a legitimo et supremo Principe sit decreta, et communi reipublicae bono recte conveniat; tamen lex est, ut ita dicam inchoative et imperfecte: ut perfecta fiat, et suum effectum obligandi subditos habeat, necesse est, ut in eorum notitiam, qui Principis ordinationibus parere debent, sufficienter perveniat: necessaria, inquam, est legis *promulgatio*. Etenim « lex imponitur aliis per mo» dum regulae et mensurae: regula autem et mensura im» ponitur per hoc quod applicatur his, quae regulantur et » mensurantur: unde ad hoc quod lex virtutem obligandi » obtineat, quod est proprium legis, oportet, ut applice» tur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis » autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum de» ducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa ne» cessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem: et » sic ... potest colligi definitio legis, quae nihil est aliud » quam quaedam ordinatio rationis ad bonum commune ab » eo qui communitatis curam habet promulgata ». (D. Th. loc. cit.).

Itaque in hac legis definitione a D. Thoma tradita, ut

perspecte monet Suaresius (De legibus l. 1. c. 12.) loco *generis* ponitur *ordinatio rationis*, quae vox active non passive sumenda est: subditi enim ordinantur per legem; ordinatio autem activa est a legislatore ; et ille actus , quo ordinat, appellatur ordinatio activa, seu praeceptio , quae a ratione proficisci debet , ideo dicitur *ordinatio rationis*, idest recta et justa praeceptio. Reliquae vero particulae in definitione appositae adduntur per modum *differentiae*, et in illis virtute includuntur omnes legis conditiones (1). Quapropter ad mentem angelici doctoris posset distinctius ac brevius ita definiri. *Lex est commune praeceptum justum ac stabile sufficienter promulgatum.*

Proximus vero et proprius legis cujusvis effectus est subditos obligare. Enim vero in hoc omnes theologiae, utriusque juris, ac philosophiae doctores mirifice consentiunt, ut asserant, nullam esse propriam legem, quae obligationem

(1) Conditiones, quae de ratione legis proprie dictae, passim a DD. recensentur, hae sunt. Primum ut lex pro aliqua *communitate* proposita sit, scilicet *generaliter* proponi debet omnibus subditis cujusdam communitatis perfectae sive distributive sive collective servanda; ut distinguatur a praeceptis particularibus cuidam collegio , vel familiae ; vel certae personae impositis. Porro de ratione legis quoque est, ut *publica potestate* feratur ; eaque sit *justa* et *juste lata* , atque in *commune bonum*. In hac autem ratione boni communis et alia legis conditio implicite continetur, scilicet *perpetuitas*; quo nomine intelligitur vel omnimoda legis immutabilitas , quemadmodum est in praeceptis legis naturalis, et in quibusdam positivis divinis, in reliquis vero positivis legibus perpetuitas est ea moralis legis stabilitas , ut vi suae originis et constitutionis lex semper, aut per indefinitum, aut diuturnum tempus cum valore et efficacia obligandi permaneat. Jam vero humanam legem inquit laudatus Suaresius « triplicem habere moralem perpetuitatem seu » stabilitatem. Prima est ex parte ferentis , quia non amovetur , illo » amoto; nec moritur, illo mortuo. Secunda est ex parte subditorum, » ad quos fertur ; quia non tantum obligat praesentes , qui vel nati » sunt, vel territorium incolunt, cum lex fertur, sed etiam eorum suc- » cessores postea natos vel denuo ibi habitantes. Tertia ex parte ipsius » legis; quia semel lata semper durat, donec vel revocetur, vel mate- » ria ejus aut causa ita mutetur, ut justa esse desinat ». Postrema denique legis conditio est *promulgatio*, de qua supra dictum est. De quibus omnibus conditionibus videsis Suaresium in praecellenti opere citato fuse et sapientissime pertractantem.

non inducat, idest necessitatem quamdam operandi, vel non operandi. Haec autem non est physica et omnimoda necessitas, qualis ea est, quae irrationabilia et insensibilia per inclinationem et impulsum naturalem inducit ad agendum; sed est necessitas *mere moralis*, quae creaturae rationali non tollit physicam facultatem volendi contra vel praeter id quod legis praeceptio exigit; uno verbo, posita lege, libertas indifferentiae in homine remanet, tollitur tantummodo *jus*, idest potestas seu facultas rationi conformis volendi et agendi contra vel praeter legis ordinationem: adeo ut qui legi obtemperet is officio suo fungi dicatur et laude praemioque dignus censeatur; qui secus faciat, criminis reus habeatur, et vituperio ac meritae poenae subiiciatur. Ratio autem cur quaecumque vera lex obligationem hanc inducat apertissime patet. Cum enim lex sit imperium procedens a voluntate efficaci obligandi supremi ac legitimi imperantis; hinc efficax legislatoris voluntas supposita in eo potestate, suum effectum producat, necesse est.

Quae hactenus disseruimus pertinent ad substantiam legis; est autem et alia proprietas adjuncta ad juvandam legem, quo efficacius effectum suum habeat, scilicet *sanctio*, quo nomine intelligitur, *aequa praemiorum et poenarum taxatio legis cultoribus aut violatoribus a legislatore facta et indicta*. Subtiliter quidam perquisiverunt, utrum sanctio sit pars *essentialis* legis; ita ut, ea sublata, legis etiam ratio una tollatur. Verum hac inutili quaestione praetermissa, dico: Omnes humanae canonicae, et divinae positivae leges, nec non lex naturalis sanctionem habent. Sanctio autem in humanis legibus, ut sapientes unanimiter censent, est tamquam nota verae legis, adeo ut ea omnia, quae nulla apposita praemii aut poenae sanctione a principibus potestatibus praecipiuntur, tamquam consilia aut praecepta medicorum habenda sint. Utpote e. g. si Princeps ad pestem cholericam praecavendam a suis subditis, vel ad ejus vim comprimendam, praeter ea, quae severissimis poenis servanda imperat, edictum quoque

condat, in quo imperantis modo singula praecipiat, quae ad hygienem spectant, vel quae in primo, secundo, et tertio hujusce morbi stadio facienda omnino sint: haec certe extra verae legis rationem essent habenda.

Ceterum integrum cuique sit, ut magis placet, sanctionem appellare sive *essentialem*, sive *integralem* legis partem, dummodo concedatur, sanctionem propriae legi prorsus necessariam esse. Idque tum ex justitia distributiva, qua cautum est, ut unicuique pro meritis compensatio tribuatur, tum etiam ex prudenti gubernatione requiritur. Etenim, (dicam cum I. V. Bolgeni *Atti umani* § 278), ut homo intelligens et liber agat, necessaria sunt motiva: nullum autem motivum foret, quod in hominis voluntatem vim habeat, nisi quodammodo in ejus felicitatem referatur, et amorem proprium excitet. Lex igitur, ex cujus custodia nulla utilitas consequenda proponitur, eaque neglecta, nullum timeatur damnum, inefficax prorsus est ad hominem excitandum et movendum ut juxta legis ordinationem agat.

Quamquam vero ad perfectam legis sanctionem et poenarum comminatio, et praemiorum promissio necessaria sit, attamen ut recte monet Suaretius (l. 1. c. 17. § 13) poenae adjectio est multo frequentior in legibus positivis, quam promissio praemii, quia est, moraliter loquendo, magis necessaria: homines enim majori ex parte proni sunt ad malum, et suis ducuntur cupiditatibus, et ideo frequentius timore poenae coerceri debent: unde etiam judices et custodes legum magis obligantur ad puniendos legum transgressores, quam ad conferendum praemium servantibus illas.

ARTICULUS II.

De lege naturali.

Ex iis omnibus, quae hucusque demonstrata sunt, et legis naturalis existentia et ejusdem legis definitio tamquam co-

rollarium aperte deducitur. Et re quidem vera ordinem justitiae et honestatis non ex hominum conventione et placito derivari, sed naturalem et essentialem homini esse, contra sensualistas demonstravimus (Sec. II, th. II), scilicet certum est ordinem moralem et naturalem existere. Jamvero huic naturali justitiae honestatisque ordini omnes essentiales legis proprietates apprime conveniunt. Cum enim justitiae et honestatis regulae ab essentialibus et naturalibus hominum proprietatibus ac relationibus exoriantur, et ad uniuscujusque jura sarcta tectaque servanda necessariae sint (ibid.), sequitur eas essentialiter justas, rectas, ad communi humani generis bonum ordinatas, ac natnra sua perpetuas et immutabiles esse. Posita autem Dei existentia ejusque providentia, certum omnino est, ordinem moralem et a Deo O. M. originem habere, et supremo ejusdem decreto omnibus hominibus praecipi ac sanciri, eisdemque per lumen rectae rationis intimari (Th. III). Igitur ordini honestatis justitiaeque naturalis eminenter conveniunt ii omnes characteres, qui de ratione legis esse censentur. Quapropter concludendum est, legem naturalem existere, ejusque rectam et adaequatam definitionem hanc esse, scilicet. *Lex naturalis est ordinatio divina, toti humano generi per lumen rectae rationis intimata, praecipiens ea quae hominis naturae necessario consentanea sunt et prohibens contraria.* Haec inquam est vera et adaequata legis naturalis definitio. Etenim 1. in hac definitione omnia falsa, aut aliqua saltem ex parte erronea systemata excluduntur, et nonnisi orthodoxo et complexivo systemati convenit. Ordinem enim justitiae et honestatis non hominum adinventionem esse dicimus, uti sensualistae autumant; non rationis, aut sensus moralis, aut naturae ordinationem, uti praescindentes censent; non denique arbitrariam Dei jussionem, ut quidam superstitiosi putaverunt; sed divinam praeceptionem aeternis et immutabilibus justi et honesti notionibus necessario cohaerentem.

Porro 2. eae omnes generatim proprietates, quae de ra-

tione cujuscumque legis sunt, in hac definitione continentur, scilicet universalitas, perpetuitas, justitia ac rectitudo, communis utilitas, promulgatio. 3. Denique specifica legis naturalis differentia in definitione continetur. Cum enim ea quae per legem hanc praecipiuntur necessario consentanea sint hominis naturae, quaeque vetantur eidem prorsus repugnent; cumque haec omnia per naturale medium scilicet per lumen rectae rationis hominibus sufficienter intimetur; hinc aperte patet specifica legis naturae differentia, quae eam a ceteris positivis legibus ex libero sive Dei, sive Ecclesiae, sive politicae potestatis decreto praeceptis ac promulgatis discriminat. Ea igitur est vera et adaequata legis naturalis definitio.

Haec satis sint quoad intrinsecas et essentiales legis naturalis proprietates, aliqua nunc dicenda supersunt de extrinseca et integrali, ut ajunt, proprietate, scilicet de *sanctione*. Itaque inquirendum est utrum naturae legi habeatur sanctio *naturalis*, et quaenam ea sit. Naturalem dico sanctionem, ut a positiva distinguatur; ab ea nempe poenarum et praemiorum qualitate et quantitate, quae ex libero legislatoris arbitrio ac prudentia expresse legi apponitur et indicitur. E contra vero illa bona aut mala, quae ex ipsis actionibus legi conformibus aut repugnantibus, tamquam effectus, necessario consequuntur, vel quae sint fulcimenta seu *media necessaria* et ad legis efficacitatem, et ad aequam pro meritis retributionem impertiendam, naturalem sanctionem constituunt, quaeque proinde sine positiva promulgatione, sed per lumen rationis sufficienter innotescunt.

Itaque dico, legi naturae duplicis generis sanctionem utramque naturalem adesse, alteram in praesenti vita pro humana conditione *imperfectam* (de qua infra dicam), alteram in futura et *adaequatam*. Jam vero sanctionem in futura vita complendam necessariam esse pluribus de causis aperte patet. 1. enim si hominis animus non una cum corpore perit, dicendum est alterius vitae conditionem congruere debere cum ejus virtute aut vitio. 2. si Deus sapiens, beneficus, justus,

et providus est, consulere debebat hominum naturae per praemia et poenas certas et proportionatas in futura vita virtutibus ac vitiis aequa lance rependendas, sine quibus nec firma justitiae honestatisque dictamina, nec sufficientia motiva, quae homines obedientes facerent naturae legi haberi possent (ut sec. 2. cap. 3. a. 3 demonstratum est). 3. tandem ex ipsa legis moralis natura quae homines in tota mortali vita regit, facile deducitur necessitas sanctionis in futura vita complendae. Lex enim naturalis non unum aut alterum virtutis actum jubet, nec unum aut alterum injustitiae inhonestatisque actum vetat; sed omnes, idque in tota hominis vita usque ad extremum spiritum. Universus itaque vitae hujus curriculus, est tamquam militia, vel servitus, vel negotiorum administratio; cujus perfecta ratio nonnisi post exactum vitae spatium haberi potest. Praesertim quia ob hominis fragilitatem et instabilitatem, qui optimum vitae institutum suscepit, facillime potest ab eo declinare: quique imprudenter et luxuriose coeperit, ad saniorem mentem conversus optimum vitae progressum et finem consequi possit. In ultimo autem hujus, ut ita dicam, theatri actu graviores persaepe virtutum probationes complendae proponuntur: quae nonnisi in alio vitae statu compensari possent. Hinc factum est, ut nulla unquam gens fuerit neque tam immansueta, neque tam sylvestris, quae hanc futurae vitae fidem non habuerit; atque praemiorum spes, aut suppliciorum metus non omnium animos vehementer permoverit (vide sec. 2. cap. 3. ar. 2). Quamquam igitur ratio id consequi nequeat, ut distincte et in particulari noscat quae praemia virtutibus, quae vitiis supplicia in altera vita reservata sint, tamen pro certo habemus aequissima distributione bona hominum merita a Deo O. M. remuneranda, et vitia punienda.

At est in hac quoque vita naturae legi naturalis sanctio, praemia scilicet et poenae quae naturaliter et necessario virtutem vitiumque inseparabiliter comitantur. Quamvis enim justitiae honestatisque leges hominis libertati, commo-

do, et sensuum voluptati graves sint et asperae, vitia autem blanda, et pergrata videantur: tamen haec nonnisi miseriam continent, et infelices homines faciunt; in illis vero maxima, quae in hac vita dari possit, felicitas invenitur. Haec omnia necessario consequuntur ex iis, quae a nobis sunt demonstrata; si enim justitiae et honestatis dictamina in natura sunt, si haec a ratione et voluntate Dei necessario legis vim habent, quorum praesentissimus judex, vindex et remunerator futurus sit: haec autem in omnium hominum mente penitus insculpta, ut facilius viscera mortalibus distraxeris, quam harum notionum persuasionem; quinam dubitari possit, in quovis vitae casu et vicissitudine praemia virtuti, poenas vitio prompta parataque rependi? Et re quidem vera lex naturae est lex conservationis hominum generi pernecessaria, quae singulis sua jura tribuit, et tuetur, et in humana societate virium conservationem, aequilibrium, ordinem conservat. Quisquis igitur huic legi contradicit, is adverso flumine luctatur, et necessario miser; nihil enim contra naturam utile: qui eidem paret, suo centro haeret et quiescit. Possem indolem singularum virtutum singillatim expendere, ut ostenderem, officium cujusque virtutis eo spectare, ut bene beateque homines vivant. Sed his omissis, quae a summis viris dedita opera exornata sunt, rem planius et ex facili omnium experientia videamus. « Quisque (utar verbis « clarissimi Lampredi J. P. U. d. 1. c. 5.) . . novit qui sint « intemperantiae, lasciviae, ebrietatis, uno verbo vitiorum « omnium naturales effectus; iis enim corpus corrumpitur, « fortuna dilabitur, bona fama excidit, quae mala fidissimi « sequuntur, et indivisibiles comites, mala valetudo, vitupe- « rium, immatura mors. Ea quidem est communis hominum « sententia; nam si quis naturae legem violet, et violationis « consectaria nempe naturale damnum declinet, ipsi fortu- « nam arrisisse dicunt, eodem pacto, quo eum, qui ex emi- « nenti loco deturbatus illaesus evadit, fortunatum appel- « lant: mala enim externa et interna tam necessario scelera

« seqni, quam vulnera et membrorum fracturas cadentes « arbitrantur ». Vitia autem quae directe aliorum jura laedunt necessario ceterorum abominationem et vindictam sibi comparant.

At enim nihil exploratius in historia, quam fortunae arbitrio honores, divitias, ceteraque hujus vitae bona, vel mala temere hominibus distribui; nihil exploratius, sive ignorantia, sive improborum calliditate, sive misero et fatali veluti casu, improborum conditionem saepe felicem, et copiis, honoribus, bonisque omnibus affluentem; viros bonos oblivioni, contemptui, egestati, quandoqne etiam praepotentium vi obnoxios videmus. Non ergo certa et necessaria in hac vita naturali legi addita sanctio.

Non eqnidem inficior, haec persaepe evenire; quod inter ceteras, qnas adduximus, alia validissima ratio est, qua affirmemus, sanctionem adaeqnatam intra hujusce vitae terminos circumscribi non posse. Posita autem Dei remuneratoris et vindicis notione: haec ipsa bona vel mala, quae temere et inique hominum meritis rependuntur, diversam quasi indolem accipiunt. Felicitas enim aut miseria non in externis objectis, neque in humani corporis cute, aut organis sensoriis aestimanda est: sed penitus in hominis animo suam sedem habet.

Exploratum autem est, quod sedula virtutum cultura corporis valetudinem plerumque tribuat, mentisque serenitatem, et prudentiam in mediis sufficientibus sibi comparandis ac vitandis noxiis; ceterorumque aestimationem et amorem sibi conciliet, unde maxima bona promanant: sin autem haec externa bona virtuti invideantur, et in oblivione, ac contemptu jaceat, nullus vitae casus bene actae vitae testimonium a viri boni animo abstulerit, quo dulcis fit ei panis, quamvis multo labore comparatus; dulcis aqua, cujus animus pace alitur, et certa spe substentatur in illius Numinis tutela collocata, qui omnia haec terrena moderatur, neminem suae legi parentem dimittit inanem, aut nimium affli-

gi permittit; sed supereminens ei in altera vita praemium reservat.

Quid autem divitiae, honores, omnia fortunae bona, quae fraude, versutia, vel praepotenti vi sibi comparaverit ad hominis nequam et improbi tranquillitatem et felicitatem conferre possent, cujus animus a suo centro distractus passionibus exagitatur, angore conscientiae excruciatur, ac de iis etiam bonis, quae immerito tenet, vel incertos fortunae casus, vel hominum vindictam, vel Dei judicia diu noctuque reformidat? *Non est pax impiis*, aeternae legis inevitabile decretum et sanctio est.

Itaque praeter positivas sanctiones, quae naturalis legis custodiae sive a supremis imperantibus, sive a Deo additae sunt, alia quoque sanctio eidem legi essentialis, et naturalis extat, quae infallibili, et praesentissima distributione, cuique bono vel malo hominis actui rependitur: haec autem duplex est; altera temporalis huic mortali vitae accommodata; altera in futura vita perpetuo duratura, eaque perfecta, et adaequata. Prima ac praecipua quae legis cultoribus aut violatoribus in praesenti vita rependuntur bona vel mala, ea sunt, quae in ipso conscientiae tribunali illico sentiuntur, ubi lex naturae promulgata est, et de re bene aut male a nobis acta sententia fertur: hinc conscientiae angor in impiis, neque ulla unquam securitas, et pax; quam animi aegritudinem multa alia consequuntur damna: ceterasque hujus vitae voluptates, quas sibi comparare studeat tetro quodam veneno inficit, et nihil aliud consequi valet, quam sua desideria acuere, inexplebili siti. « Tantalus e labris fugientia « captat flumina ». Maximo autem vitae solatio, et jucunditate fruitur mens bonarum actionum sibi conscia, quae per omnem vitae rationem diffunditur, et adversa tolerabilia facit, secunda vero auget ac perficit: unde illud Apollinis in optimo quoque verissimum reperitur. (Arist. Nico. l. 1. c. 8.):

Καλλιςον το δικαιοτατον: λωςον δ'υγιαινειν
Ηδιςον δε πεφυχ' ὁ τις ερᾳ το τυχειν

(quod ita a Genuensis interpretatur) « *Quod justissimum est,* » *id pulcherrimum;* tum nihil *prius exoptandum valetudine:* po- » stremo *nihil dulcius,* quam *quod* juste *concupiveris* per va- » letudinem *frui.* At illud *δικαιοτατον justissimum,* quod pri- » mum, jura servando fit: *valere* autem artes exercendo cor- » pusque, et voluptatum modum servando; tum *recte sancte-* » *que concupitis frui* quam jucundum ? (1)

Quae omnia nemo nisi insanus negare audeat ; eaque neminem, nisi penitus obstupuerit, non vehementissime permoveant.

ARTICULUS III.

De legibus positivis.

Ut recta et distincta legum positivarum notio determinetur , necesse est veritatem a quibusdam impugnatam , vel aequivocationibus involutam antea declaremus. Nonnulli philosophi, et passim Janseniani theologi nullam distinctionem ponunt inter ea, quae sunt *de praecepto* legis naturalis , et ea quae sunt libera, ac de mero *consilio* : omnes actus humanos naturalis legis obligatione constringunt, et cum maximo moralitatis ac religionis damno *alligant onera gravia et importabilia.*

Distinctio haec summi momenti inter actus humanos , qui sub praeceptum legis naturalis cadunt, atque eos qui hominis arbitrio relinquuntur, et per merum consilium suadentur vel dissuadentur, certissima est non solum ex auctoritate divinae revelationis, in qua nostrum non est immorari; sed etiam evidentissima ex ipsa ratione. Etenim illae omnes actiones, vel omissiones, quae necessariae omnino sunt , ut naturae ordo servetur , et ultimus finis obtineatur , habent quidem veram praecepti moralis ideam: quia in his est ra-

(1) Hoc argumentum *de legis naturalis poenis praemiisque* egregie pertractat Antonius Genuensis diss. 3. ad calcem operis de officiis.

tio et voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubentis, perturbari vetantis: ideoque habetur *necessitas moralis* operandi vel non operandi, quae omnino requiritur in conceptu praecepti et obligationis moralis. Jam vero non omnes humani actus necessarii prorsus sunt ad hunc ordinem custodiendum; imo quamplurimi nonnisi majorem, vel minorem *opportunitatem*, *convenientiam* et *congruentiam* praeseferunt cum hoc naturae ordine: nullum igitur praecepti conceptum exhibent: et qui apti sint majori virtutis perfectioni ac splendori, eos ratio suadet, sin minus opportuni, eos dissuadet: exempli gratia lex naturalis jubet vitae custodiam: ergo suicidium, atque imminentia et graviora vitae discrimina voluntarie subire, omnino vetatur, ac mediis, quae necessaria censentur ad ejus conservationem, uti jubemur. At peropportunum erit, si praeter imminentia, etiam remota saltem graviora et probabiliora pericula devites; maximamque diligentiam et curam adhibeas in habitu, incessu et somno, in perspectissima cibi et potus quantitate et qualitate: sin autem dicatur, naturae legem imperare, ut omnem possibilem diligentiam et curam adhibeamus ad optimum sanitatis statum servandum; praeter quam quod in his peragendis nulla absoluta necessitas deprehendatur, ideoque nulla adest veri praecepti notio; dicendum quoque foret, legem naturae impossibilia jubere. Numerus enim et ratio possibilium in immensum patet; ac si possibilia omnia vitae discrimina vitanda essent, de hoc mundo decedas oportet. Idem sermo est de ceteris naturae praeceptis ad quae servanda quaedam omnino necessaria sunt, quamplurima alia plus minusve opportuna: actus enim humani infinitos propemodum perfectionis gradus obtinere possunt: quae hominis arbitrio concessa esse oportet, nisi eum ad impossibilia obligare velimus.

Jam vero posita hac distinctione inter actus humanos qui sunt de praecepto legis naturalis, et eos qui uniuscujusque arbitrio permittuntur, apertissime patet legum positivarum

specifica differentia. Lex enim positiva, ita nempe nuncupata, quasi apposita seu addita naturali legi, non ex illa necessario manans, eos humanos actus tamquam materiam propriam habet, qui nulla legis naturalis obligatione praecipiuntur, aut vetantur. Quapropter *lex positiva* recte definiri potest *ordinatio communis justa ac stabilis supremae potestatis arbitrio ac prudentia praecepta, atque externis signis sufficienter promulgata.* Cum autem suprema imperandi potestas primario competat Deo, et per quandam participationem cum ad ecclesiae Christi pastores, tum ad rerumpublicarum rectores etiam derivetur; hinc leges positivae triplicis generis sunt : aliae enim *divinae*, aliae *ecclesiasticae* seu *canonicae*, aliae denique *civiles*; inspecta scilicet suprema potestate, a qua unaquaeque proxime dimanat.

Porro in legibus positivis alia etiam distinctio est, in jus nempe *scriptum* et *non scriptum*: posterius autem duplex esse potest et aliud *traditionale*, aliud *consuetudinarium* appellatur. Non est enim vero de ratione legis, ut ea scripta sit, satis namque est ut principis imperium subditis aliquo modo sufficienti manifestetur. Quapropter permultas sive divinas, sive apostolicas, sive ecclesiasticas leges oretenus promulgatas et quasi per manus traditas fuisse, novimus. Sive autem scripta lex sit, sive per traditionem inducta, ex eodem itidem fonte, idest a suprema legitima potestate *proxime* et *immediate* promanat.

Non eadem profecto ratio est legis *consuetudinariae*, quae etiam *consuetudo juris* dici solet. Enim vero consuetudo, si vocis etymologiam consideres, res est potius facti, quam juris: ea enim nonnisi frequentiam actuum significat. Attamen consuetudo facti si ab universa perfecta communitate, vel saltem a majori communitatis parte voluntarie, et per longum tempus observetur, accedente tacito vel expresso principis consensu, vim obligandi consuetudini dantis, producit *jus novum*, seu legem novam. Tacite autem censetur consentire princeps videndo et non impediendo universalem

diuturnam ac rationabilem consuetudinem: expresse vero consentit, si lex antea ab eo posita sit, quae statuat conditiones necessarias, ut consuetudo vim legis adipiscatur. Cum enim hujusmodi consuetudo inducitur, virtute legis illius praeexistentis jus novum non scriptum evadit. Itaque quamquam consuetudo sit causa proxima novi juris, attamen causa primaria et efficiens, quae scilicet vim legis consuetudini tribuit, est supremi imperantis consensus (1).

Ceterum praeter jus novum potest suprema vel divina vel humana auctoritas quaedam positiva decreta edere circa ea quae lege naturali jubentur aut vetantur: utpote cum naturalia praecepta positiva quoque sanctione muniuntur: quemadmodum in civili republica permultas poenas a principibus constitutas videmus ad furtum , homicidium , adulterium , sacrilegium , atque alia facinora removenda : quae quamquam naturae lege vetentur ac puniantur; tamen cives metu publicae animadversionis, et superadditae sanctionis ab hisce criminibus facilius sese abstinent : multa quoque , et s. canonibus, et divinis legibus circa naturalia praecepta sancita sunt: quae omnia aliqua ex parte ad legislationem positivam pertinent: verumtamen positivae leges proprie et adaequate consideratae, nonnisi superius descriptae praeceptiones sunt , quae jus novum sive scriptum , sive non scriptum producunt.

Porro quoad earum effectum primarium et proximum quaeritur , utrum omnes positivae leges non solum in foro externo , verum etiam in foro interno seu conscientiae vim obligandi habeant. Tota autem quaestio versatur circa civiles leges: nam de divinis aut de ecclesiasticis nulla dubita-

(1) Consuetudo potest esse secundum legem, contra legem, et praeter legem. Si rationalis consuetudo sit secundum legem, ea est *optima legis interpres*. Consuetudo vero contra legem naturalem aut divinam *corruptela* potius appellanda est. Sin autem consuetudo contra humanam legem fiat, dummodo rationalis sit, communitati utilis, et per longum tempus, communiter inducta ac praescripta, vim habet abrogandi legem. Ceterum hic tantummodo sermo est de consuetudine praeter legem quae jus novum inducere valeat-

tio est. Jamvero posse supremum imperantem civilem, cum id salus publica exigat, quasdam positivas leges per modum praecepti etiam in foro conscientiae obligantis imponere, certum omnino censendum. Etenim princeps civitatis ex naturae lege supremum jus habet ea omnia praecipiendi, quae ad bonum communitatis necessaria aut peropportuna ducit: eadem igitur naturae lex obligationem imponit subditis obediendi principi juste et legitime imperanti. Si nulla igitur ex supra expositis conditionibus ad propriam legem constituendam necessariis desit; et princeps voluntatem obligandi in conscientia subditos aperte demonstret, adeo ut pateat, sanctionem legi oppositam merum motivum esse ad conscientiae debitum facilius implendum; tunc legis hujusce violatores et in civili externo tribunali, et in interno ac divino etiam constituuntur criminis rei.

Haec autem sententia, quae ex sola ratione clare demonstratur, divina quoque revelatione aperte confirmatur, quare est communis DD. catholicorum sententia, quam Suaresius dicit esse de fide, vel proximam fidei. « Nam, inquit, fere » aperte colligitur ex illo Pauli ad Romanos 12. *Qui pote-* » *stati resistit, Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt,* » *sibi ipsis damnationem acquirunt.* Quod de damnatione » etiam apud Deum intelligit ibi Chrisostomus hom. 23. » Item additur ibi ratio his verbis; *Dei enim minister est ;* » unde colligitur illi esse obediendum, *non tantum propter* » *iram, sed etiam propter conscientiam;* ac si aperte dicat, non » solum propter timorem poenae, sed etiam propter vitan- » dam culpam : hoc enim in rigore significat particula illa » *propter conscientiam,* ut Ambrosius, Anselmus, Theodoretus, » D. Thomas et fere alii intellexerunt. Et sumitur ex illo » (1. Petr. 2). *Haec est enim gratia, si propter Dei conscien-* » *tiam sustinet quis* ec. et prius ibidem dicitur, *subjecti estote* » *omni humanae creaturae sive regi* ec. *quia sic est voluntas* « *Dei* et facit illud prov. 8. *Per me reges regnant.* (Videsis » plura apud Suaresium l. 3. c. 21.) ».

Ceterum dari posse, ac de facto dari leges mere poena-

les , scilicet non obligantes in conscientia, sed tantnm sub quadam poena, est sententia, quam idem Suaresins veternm recentiorumque summi nominis DD. auctoritatem sequutus amplectitur ac defendit. Quare statuamus cum D. Thoma (2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.) « Non omnia quae continentur in le- » ge, traduntur per modum praecepti, sed quaedam propo- » nuntur per modum ordinationis, vel statuti, obligantis ad » certam poenam. »

At enim quanam ratione cognoscetur intentio Principis legem mere poenalem imponentis? Pluribus id modis constare potest : 1.° per ipsius Legislatoris declarationem, sive in ipsa lege expressam, sive per aliquam constitutionem, quae generatim determinet formulam, qua diversa legum natura significetur : 2.° per consuetudinem , optimam cujuscunque legis interpretem.

« Ultra vero hos casus, ait Suaresius possumus genera- » lem regulam negativam constituere. Quoties per verba le- » gis poenalis non declaratur sufficienter proprium praece- » ptum obligans ad actum vel omissionem ejus, praesumen- » dum est, esse legem pure poenalem . . . . Nam si lex non » satis explicat duplicem obligationem seu praeceptum, be- » nignior pars est eligenda , cum res sit dubia , et lex non » satis explicat rigorem. Censebitur autem lex non satis ex- » plicare priorem obligationem conscientiae, quando nec lata » fuerit per verbum expresse praeceptivum, quod in actum » prohibitum vel imperatum cadat, nec ex circumstantiis, aut » materia, vel poena legis colligatur virtuale praeceptum, seu » intentio sufficiens praecipientis ... Ut cum lex dicit, si quis » inveniatur extrahens triticum ex regno, perdat illud vel » duplum : vel cum dicit, quicumque deprehensus fuerit ve- » nans in tali loco, solvat tale quid. Similes enim leges ex » vi verborum non inducunt obligationem ad actum, vel ad » omissionem, quia in rigore non praecipiunt. »

Excipe tamen 1.° Nisi gravitas poenae supponat culpam utpote cum excommunicatio, vel mutilatio, aut mors imponi-

tur. 2.° Nisi materia legis directe pertineat ad bonos mores, ad cohibenda vitia, ad removendum magnum incommodum reipublicae, ad pacem procurandam; et ad hos fines poena illa censeatur necessaria: tunc enim magna praesumptio esset, legem positam esse cum intentione obligandi in conscientia, etiamsi modus praecipiendi non sit adeo expressus et formalis, nec poena nimium gravis. Quando autem nihil horum intervenit, signum sufficiens est, talem legem non obligare in conscientia.

ARTICULUS IV.

De lege aeterna ceterarum legum et officiorum fonte.

» Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam (ait Tullius l. 2. §. 4. de legibus), legem non hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum; sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei ». Idem de hac *aeterna lege* praestantissimi posteriorum etiam aetatum philosophi ac theologi unanimi consensione docuerunt. Itaque *lex aeterna*, latiori sensu accepta, *est ratio gubernativa totius universi in mente divina existens.* Enim vero Deus essentiales rerum omnium possibilium relationes infinita sua sapientia comprehendit, et juxta hoc aeternum et immensum suae sapientiae exemplar creavit condidit, et moderatur universum naturae systema. Quare singula entium genera habent suas leges quibus vel mechanice, vel spontanee, vel libere pareant, quaeque sunt totidem surculi et effectus rationis gubernativae Dei. Lex igitur aeterna duas quasi partes complectitur, 1.° rationem Dei aeternam, qua rerum essentias ac necessarias earum relationes et ordinem novit: 2.° voluntatem ejusdem creatricem et conservatricem hujus ordinis. Quapropter aeterna Dei ratio est veluti norma et mensura rerum gubernandarum; de-

cretum vero divinum creandi, et ad hunc aeternum typum universa gubernandi, est veluti anima hujus legis, unde tota vis oritur vel obligandi creaturas intelligentes, vel efficaciter inclinandi res intelligentia atque etiam sensu carentes.

Itaque (dicam cum D. Thoma 1. 2. q. 91. a 2.) » cum » omnia, quae divinae providentiae subduntur, a lege aeter- » na regulentur et mensurentur, . . . manifestum est, quod » omnia participant aliqualiter legem aeternam, in quan- » tum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in » proprios actus et fines. Inter cetera autem rationalis crea- » tura excellentiori quodam modo divinae providentiae sub- » jacet, in quantum et ipsa fit providentiae particeps, sibi » ipsi et aliis providens. Unde et in ipsa participatur ratio « aeterna, per quam habet naturalem inclinationem ad de- » bitum actum et finem : et talis participatio legis aeternae » in rationali creatura lex naturalis dicitur. . . Unde patet, » quod lex naturalis nihil aliud est quam participatio legis » aeternae in rationali creatura. »

Ceterum lex aeterna strictiori et magis proprio sensu considerari potest, quatenus nempe ad hominum mores refertur, et definitur ratio Dei gubernativa totius generis humani, scilicet *ratio et voluntas Dei ordinem naturalem hominis proprium conservari jubentis, perturbari vetantis.* Jam vero hujusmodi lex quatenus consideratur in mente Dei existens, et absoluto ejus decreto, firmaque voluntate constituta, aeterna lex est : cum autem ratio illa ac voluntas Dei per lumen rectae rationis hominibus intimatur, tunc lex naturalis appellatur, quae propterea a lege aeterna derivatur.

Corollarium. Hac veritate posita, alia immediate inde consequitur magni momenti veritas, quam nonnulli aliqua ex parte inficiantur, vel confundunt, alii omnino negant, scilicet legem naturalem immutabilem esse. Cum enim naturae lex sit participatio aeternae legis *dictans et praescribens illud esse agendum, quod est intrinsece bonum, et illud fugiendum, quod est ab intrinseco malum*; « Neque ulla vis, ullus casus, ulla rerum

» labes effecerit, ut justum non sit esse omnia ordinatissi-» ma, » (August. l. 1. de libero arbit. c. 6. n. 15.) concludendum legis naturalis praecepta per se esse immutabilia.

At enim homicidium, furtum, mendacium: multoque magis suicidium, innocentium caedes, aliaque hujusmodi naturae lege vetantur. Attamen hominem interficere, aliena invadere, et sibi propria facere, mentiri, fidem datam fallere etc. aliquando licitum censemus. Aliquando Deus ipse positiva revelatione haec et similia permisit, aut imperavit: utpote cum Abrahamo innocentis Isaac mortem mandavit: nonnullis aliis sibi vitam perimere; Isdraelitis ex Aegypto profugientibus Aegyptiorum vasa, aliaque praetiosa abripere permisit; Moysen, aliosque sui populi duces jussit alienas regiones invadere, urbes exscindere, caede et incendio omnia vastare, et ne puerulis quidem ubera lambentibus, aut in utero matris inclusis parcere. Ergo *idea, quae communiter a philosophis et theologis tradi* solet *de lege naturali, quam dicunt immutabilem, sicut rerum essentia immutabilis est, in qua ne Deus quidem ipse possit dispensare, quasi haec dispensatio ejus attributis repugnet, haec inquam legis naturae idea imperfecta, obscura, confusa, et ut aperte dicam, falsa dicenda est.* Ita Bolgenius (Atti um. part. 2. c. 2. n. 259.), qui tantum concedit legis naturalis immutabilitatem *in abstracto*, et tamquam *in actu primo* vim obligandi habentis: mutabilem autem eam affirmat *in concreto* et tamquam *in actu secundo obligantem.* Ceterum Pufendorfius, Thomassius, aliique quos sect. 1. recensui, nullam omnino intrinsecam in naturae lege immutabilitatem agnoscunt. Omniaque ex Dei arbitrio repetunt justa vel iniqua, honesta vel turpia. Hi quidem pessime: Bolgenius autem affectans novitatem et claritatem falsa et ipse asserit: sed potius novitatem loquendi et idearum confusionem, quam omnimodam falsitatem invenies si universam ejus doctrinam penitus perscruteris.

Sit itaque firmum ex iis omnibus quae demonstrata sunt, legis naturalis praecepta, utpote aeternam legem participan-

tia, immutabilia prorsus censenda esse. Hoc tantum superest declarandum, scilicet quanam ratione quidam actus, qui a lege naturae vetantur aut jubentur, aliquando licite fiant vel omittantur: et quonam modo id cum ejus immutabilitate concordet. Nam immutabilem eam in abstracto concedere, et in concreto negare, est ridicula verborum illusio. Lex enim nulla est vim obligandi habens, nisi sit in concreto applicabilis: imo nisi de facto applicata sit iis, qui a lege dirigi debent.

Lex naturalis dici solet *ordinis naturalis custodia, vel norma, quae jus suum unicuique tribuit, ac tuetur, quaeque jubet quidquid est intrinsece bonum, vetat quidquid intrinsece malum*: haec quidem vera sunt. Sed nisi maximas has generalitates ex concretis determinentur, nihil clare et distincte noveris. Sic igitur rem complectar. Homo Dei opus ad immortalem et perfectam felicitatem est factus: itaque anima intelligenti, libera, et immortali praeditus; in corpore tamen mortali consociata: igitur vita quoque temporalis ei concessa: et quaedam in hac mortali vita imperfecta felicitas: in summo caeterorum entium naturae gradu collocatus; in aequali conditione, et necessaria dependentia cum caeteris hominibus constituitur; singulis sua jura simillima tributa; singulis iidem fines propositi. Verum distinguendum est inter jura, et jura, inter fines, et fines. Finis ultimus cujusque est perfecta et immortalis felicitas in futura vita obtinenda: itaque caetera omnia jura et fines ad illum primarium, et ultimum finem referri et coordinari debent. Imperfecta autem et temporalis cujusque felicitas subordinata esse convenit, et perfectae singulorum felicitati, et communi societatis bono. Quae cum ita sint distingui quoque debent in homine alia jura essentialia et inalienabilia, sine quibus homo amplius non sit, et suo ultimo fine careat; alia ejus jura, quae dici possunt *precaria et conditionata*: ea nempe omnia quae suam praesentem et temporalem felicitatem spectant; vitam dico, bonam famam, et alia hujusce vitae adjumenta. Haec

autem subordinata sunt publico societatis bono, et ultimo sive nostro, sive alieno fini. Itaque praecepta et obligationes singulis hominis juribus correlatae, aliae natura sua *absolutae* sunt, et immutabiles; et ne Dei quidem voluntate dispensari possunt: aliae vel ex rerum circumstantiis, vel Dei nutu *mutationi* aut *dispensationi* sunt obnoxiae. Unde concludi debet quemvis impietatis et irreligionis actum, propriam vel alienam morum aut dogmatum depravationem, ac seductionem, caetera quae inimicitiae odium vel in Deum, vel in alios includunt, semper essentialibus juribus vel Dei vel hominum, et ultimo fini contraria esse: ideoque a naturae lege *absolute* vetantur. Itemque ii omnes actus, qui necessarii sunt ad cultum, et honorem Deo debitum praestandum: vel ad nostram aliorumque felicitatem in altera vita assequendam, absolute imperantur.

Caetera affirmativa legis naturalis praecepta; vel praecepta negativa, quae correlata sunt juribus secundariis, vitae scilicet, famae et fortunae bonis, conditionata sunt, et relative vetantur aut jubentur. Incidunt saepe tempora, cum ea, quae maxime videntur digna esse justo homine, (Cic. de off. l. 1. c. 10.) eoque quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria: ut reddere depositum, facere promissum; quaeque pertinent ad veritatem, et ad fidem ea migrare interdum, et non servare sit justum. Referri enim decet ad fundamenta justitiae: primum ne cui noceatur; secundo ut communi utilitati serviatur: cum tempora commutantur, commutatur officium, et non semper est idem. Si gladium quis apud te deposuerit, repetat insaniens, reddere peccatum sit, non reddere, officium. Quid si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriae, reddas ne depositum? Non credo, facias enim contra rempublicam, quae debet esse carissima. Sic multa quae natura honesta videntur, temporibus fiunt non honesta. Ceterum haec materialis, ut ita dicam, actuum quorumdam mutabilitas ideo evenit, quia lex naturalis immutabilis est. Num ex eo quod

corporum figura et massa mutari potest, dicemus geometriae theoremata, vel gravitatis legem immutari?

Sin autem haec, quae diximus secundaria jura, et respondentes obligationes relative tantum praecipiuntur aut vetantur: quia ob circumstantiarum immutationem, et rerum conflictum vel coordinantur vel opponuntur potioribus juribus, et primario ac ultimo fini: multo magis dicendum est, in his Dei dispensationem dari posse. Imo ea, quae commemorantur de suicidio, homicidio innocuorum, furto etc. a Deo vel permissa, vel imperata, legis naturalis dispensationes recte dici nequeunt: quasi scilicet Deus quosdam homines ab illis gravissimis naturae praeceptis exemerit. Suicidia illa, innocentium occisiones, et caetera hujusmodi Deo referenda, non homini imputanda sunt: actio homini imputabilis in his Dei imperiis est obedientia, vel inobedientia. Scilicet homo est tamquam miles, qui nihil de ratione belli novit, et ad nutum imperatoris arma confert in hostes. Jam vero ea omnia, quae secundaria jura dicimus, quaeque spectant praesentem vitae statum, ad tempus a Deo conceduntur, suntque veluti *precaria*, quorum supremum dominium soli Deo competit, eaque repetit eo tempore, ea ratione, iisque mediis, quae sibi magis placuerint. Deus itaque rerum omnium Dominus, quique vitae et mortis habet potestatem, jure potest vel per se vel per causas naturales, vel per hominem ipsum occidere innocuum, suicidium jubere, transferre proprietatis dominium alterius in alterum. Homo autem haec agens ministri Dei personam gerit, et est tamquam gladius in manu Domini. Nihil igitur haec contra naturalis legis immutabilitatem faciunt: cujus conceptum, ex iis quae diximus, clare et distincte determinatum censeo.

Praeter illa vero officia, quae omnibus hominibus naturae lege praecepta sunt, alia permulta extant, quae sive a legibus positivis, sive ab institutis et mandatis particularibus legitimorum imperantium, sive a quibusdam singulorum hominum factis, scilicet ex contractibus, votis etc. im-

mediate dimanant. Positis enim his et similibus vel supremi Imperantis, vel privatorum hominum factis, accidit, ut ea, quae antea licite fieri vel omitti ab homine poterant, evadant verae obligationes morales, quas nefas sit infringere. Animadvertendum tamen est, non esse vel Principis vel contrahentium voluntatem, quae hujusmodi praecepta efficiat; verum tota obligandi vis a naturali lege provenit: ab illa, inquam lege, quae omnia in suo gradu ponit, ordinat, moderatur, quaeque jubet jus suum unicuique tribuendum: haec inquam datam praestare fidem jubet, et legitimis Potestatibus obedire. Lex enim naturalis alia absolute jubet aut vetat, alia conditionate: qua conditione posita, determinatur actio sub praecepto adimplenda, vi scilicet naturalis legis. Voluntas legislatoris (ait Radulphus Cudwortus *de aeternis et immutabilibus justi et honesti notionibus* l. 1. c. 2.) cum leges rogat positivas, non novam aliquam rem moralem producit, sed generale tantum omnium hominum officium, quod ipsa praescribit naturae lex, illis qui juste imperant obediendi, et foedera et pacta legitima servandi, varia ratione temperat et determinat: pariter propria voluntas nostra, cum pollicetur aliquid, legem illam naturae quae datam violare fidem vetat, diversa ratione moderatur et applicat.

Itaque Tullius efflagitatus ab Attico, ut explicaret de jure civili quid sentiret, in longum sermonem se vocari dicit: non enim a Praetoris edicto, neque a XII tabulis, sed penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam censuit, scilicet ita complectendam totam causam universi juris ac legum, ut hoc civile quod dicimus in parvum quemdam et angustum locum concludatur. Itaque statuit, quaecumque composita sunt, et descripta jura et jussa populorum, quovis tandem nomine appellentur, vim non habere ad recte facta vocandi, et a peccatis avocandi; quae vis non modo senior est, quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius coelum atque terras tuentis ac regentis Dei.

CAPUT II.

VARIAE OBLIGATIONUM ET JURIUM SPECIES, DEQUE EARUM VI CUM IN SE, TUM IN EARUMDEM RELATIONE.

Cum homo in omnibus suis actibus anquirat, et appetat bonum; et natura sua tendat ad id quod est in omni genere perfectum ac summum bonum in cujus fruitione conquiescat: sequitur quod inter objecta contingentia et limitata, quae quasdam sed imperfectas boni qualitates praeseferunt, ejus *physica facultas* volendi aut nolendi nullis limitibus circumscripta sit: sed homo ex hac sua physica facultate possit in quaecumque objecta, quavis ratione, et quamcumque in partem voluntatem dirigere.

Haec naturalis et essentialis energia versatilis et illimitata hominis intelligentis ac liberi exigit necessario legem moralem, quae physicam libertatem limitibus circumscribat, eumque per illas tantum vias dirigat, quae recta tendunt et deducunt ad ejus finem. Secus enim si quidquid lubet, quidquid physice possit fieri liceret; nihil salvum foret, sed omnia necessario perirent cum in privatis tum in publicis rebus.

Quapropter quaelibet hominis facultas faciendi vel aliquid sibi proprium habendi, vel eo utendi ac fruendi, quae non repugnet cum lege morali, sed ei potius conformis sit, *jus* est; seu *moralis facultas* hominis propria, quae quamvis legis moralis limites supponat, tamen non deprimit, nec coarctat ejus naturam, sed ei apprime convenit, eumque rerum naturalium principem constituit, societatem humanam conservat, hominesque ad optimum finem deducit.

Itaque apparet jura et obligationes morales esse vocabula correlata; sicut enim patris notio nulla esse potest, si filio careat, neque filius habetur sine patre, eadem ratione quodvis jus supponit cum legem generalem, quae illimitatam physicam facultatem circumscribit, tum etiam peculiares efficit respectivas obligationes: itemque quaevis obligatio

quaedam jura supponit, quaedam alia jura producit. Enim vero si hos vel illos actus praecipit lex aut vetat, ex. gr. si lex edicat, quae in aliorum proprietate bona sunt, invito domino, tibi propria ne feceris, neve laeseris : ergo jus est mihi propria facere cetera quae in mundo sunt, vel etiam aliena annuente domino. Itemque si lex mihi aliquid faciendum imponit, jus mihi tribuit ad ea omnia media libere ponenda, quae necessaria vel opportuna sunt, ut praeceptum impleatur. E contra si naturae lex quaedam jura concedit homini; ceteris necessario obligationem imponit eadem non laedendi, vel tribuendi quod suum cuique esse debet. Clarum igitur est, quod passim a moralistis et jurisperitis dici solet, jura et obligationes vocabula esse correlata, ideoque quod de unius natura praedicatur, alterius naturae respondet; scilicet cujus generis vel speciei sunt jura, ejusdem generis et speciei sunt obligationes eisdem relativae.

Jam vero Deus in bonum cujusque, et universi generis humani quasdam proprietates et jura singulis hominibus attribuit, eaque sarcta tectaque per naturae legem esse statuit. Quae cum ita sint; tum in nobis, tum in ceteris hominibus, tum maxime in Deo omnium bonorum fonte, quaedam jura sunt; quibus respondent correlatae obligationes. Itaque tria officiorum obligationumque genera distinguuntur: altera sui ipsius curam respiciunt, et *monastica* dici solent, seu relate ad hominem etiam extra aliorum commercium positum: altera spectant tranquillam societatis custodiam, et *socialia* officia dicuntur : altera immediate in Dei cultum referuntur, et *theologalia* dicuntur.

Cum autem diversa sit jurium natura et in hominibus, et in Deo, cumque diversa quoque sit officiorum indoles : hinc diversae species et jurium et obligationum in quavis relatione distinguuntur. Quaedam jura cum in hominibus, tum in Deo (nostro tamen concipiendi modo) sunt *connaturalia* et ingenita, quaedam *acquisita* ex aliquo facto : illis respondent obligationes *absolutae*, istis *hypotheticae*. Jura

Dei essentialia, et inalienabilia sunt omnia ejus attributa; jura Dei autem acquisita sunt vel quae ex quibusdam ejus operibus *ad extra* derivantur, utpote ex revelatione, et redemptione; vel quae ex libero hominis actu proveniunt, ex. gr. ex voto, et jurejurando. Porro jura ingenita et inalienabilia in homine sunt ejus vita, membra, libertas, ingeneratae animi corporisque vires: quae omnia nobiscum nascuntur. Ea vero, quae sine alterius injuria acquirimus bona, utpote occupando aliquam terrae partem, quae in communione universali erat, eamque excolendo ad usum vitae: itemque animalia, quae ex venatione, aucupio, piscatione acquiruntur, et in domesticos usus reservantur; vel quae ex legitimis pactis et contractibus ab alterius proprietate in alterum transeunt, omnia haec, inquam jura hypothetica et acquisita vel transfusa appellantur. Itemque facta plurium diversarumque familiarum in immediato et assiduo commercio viventium associatione, exurgit ex natura ipsa suprema auctoritas civilis legislativo, judiciario, et coactivo jure pollens. Haec Principis jura actus legitimos secum ferunt, quae totidem obligationes hypotheticas in subditis producunt. Itaque divina illa facta, vel hominum votum, et jusjurandum, vel actus qui dominii proprietates determinant, vel qui alterius jura in alium transmittunt, vel legitimae potestatis imperia, cum jura sint hypothetica, tum hypotheticas obligationes connaturales habent; omnis autem in his legitimis factis obligandi vis nonnisi ab ipsa naturae lege, et a lege aeterna producitur, ut superius dictum est; quamquam relate ad diversas regulas, quibus immediate reguntur, diversa ratione nominari soleant; utpote ea quae ex dominio proprietatis, ex pacto, aut voto, aut jurejurando officia determinantur, *naturalia* dici consueverunt; caetera autem vel *evangelica*, vel *canonica*, vel *civilia* appellantur.

Inspecta quoque diversa obligationum indole, aliae duae species distingui debent. Aliae enim *negativae* sunt, quae scilicet vetant mala, seu injurias, ex. gr. suicidium, homici-

dium, blasphemiam: quae sunt totidem *injustitiae* species, eaque quae in Deum committitur, impietas proprie appellatur, quae in alios fiat, *injustitia* proprie dicitur: quae autem vel in se vel in sua bona infertur injuria variis nominibus nuncupatur, utpote crudelitas, vel odium sui, vel prodigalitas etc. In quavis relatione injuria extiterit, veri nominis injustitia vel in se vel in alios vel in Deum censenda est.

Aliae obligationes affirmativae jubent bona, quae facienda omnino sunt: sicut exigit vel honor Dei, vel necessitas aut nostra, aut aliena. Ex. gr. animi vitaeque nostrae curam habere: actus humanitatis ac beneficentiae aliis exhibere: religionem excolere, ac pietatis actus edere. Primae ergo speciei officia natura sua jubent abstinere, vel cessare ab eis actibus, qui aliena jura laedunt; adeoque cum negativa sint, obligant sine ulla limitatione, et ut dici solet, obligant *semper et ad semper*. Officia autem positiva quosdam peculiares actus certo tempore, modo, ratione etc. peragendos determinant.

Quibus positis, facile determinari possunt criteria circa actualem vim obligandi in praeceptis naturalibus, scilicet 1. qua ratione praecepta moralia cujusvis speciei sint, vim obligandi de facto primum habere incipiant. 2. qua ratione per se ipsa et absolute vim hanc amittant. 3. qua ratione quaedam obligationes aliquando relative desinant vel suspendantur.

Ex iis quae diximus, hoc primum perspicuum fit, quod humana libertas antecedit quascunque morales obligationes sive absolutas sive hypotheticas. Tum quia ut lex moralis imponi possit, quae efficiat ut in subjecto extet obligatio conscientiae, ejusque actus imputabiles sint, supponitur idem subjectum intelligentia et libertate praeditum; unde effectus isti haberi possint. Tum etiam quia, ut lex applicetur, idest realiter existat tamquam vera lex cum sua obligandi vi, necessaria est promulgatio et notitia ejus adaequata.

Itaque lex naturae quamvis in se sit aeterna Dei ordi-

natio; tamen incipit habere vim legis in tempore: seu non existit tamquam lex proprie dicta, nisi post libertatis humanae usum: scilicet ratione suppositionis, atque ordinis prius hominis arbitrium in suo pleno, et libero exercitio est; dein accedit lex: et cum adaequata ejus notitia habetur, tunc incipit vere lex esse. Quod si verum et certum est in quolibet vel primario vel absoluto legis naturalis praecepto: multo id magis patet in hypotheticis. Superius enim diximus, praeter legis naturae praecepta multa esse de mero consilio hominis arbitrio permissa: haec autem per quaedam facta, quorum varias species recensui, posse fieri obligationes legis naturalis hypotheticas: in his omnibus humana libertas ante illa facta, vel etiam ante factorum certam notitiam, est plenissime sui juris.

Igitur homo nulli morali obligationi, nullique imputationi subest nisi plene compos rationis fiat, et certam ac adaequatam obligationum notitiam assequatur, ideoque pueri primum omnia innocenter agunt; sensim vero, quadam levi praecepti opinione accepta, venialiter et pueriliter delinquunt: neque vere et perfectae imputationi subjiciuntur, nisi adulta ratio sit, et alicujus saltem praecepti plena certaque notitia ab eis percipiatur; caetera interim vel ignota vel incerta nondum sunt eis lex. Quod autem de pueris et adolescentibus dicimus, idem de iis hominibus, qui licet ad adultam vel senilem etiam aetatem pervenerint; tamen vel ex naturae imbecillitate, vel civilizationis, et educationis defectu a puerili sensu non admodum distant. Atque etiam si quis adaequatam legis naturae notitiam sit assequutus, potest tamen invincibiliter ignorare vel aliquod de praeceptis naturalibus secundariis et derivatis: vel non exploratam eorum applicationem habere. Itemque facta legitima, quae hypotheticas obligationes determinant, possunt multis de causis vel ignorari, vel non satis certa, rata, et nota esse: potest ignorari ex. gr. revelationis existentia, vel esse ignotum, aut incertum, utrum in contractibus quibusdam

essentiales conditiones extent. Itemque ignorari vel dubitari solide potest de legitimitate supremi imperantis, de legitimi Principis imperio, de vero legis ab eo latae sensu, et extensione. Quae omnia, si apposita debita diligentia, adhuc ignota vel dubia vere sint, hominis libertatem limitibus nullimode costringunt; quia libertas quoad obligationes praesertim positivas et hypotheticas potior est in jure. Sit itaque regula haec prima: *legem et quaelibet ejus praecepta, nisi adaequate nota sint, vim obligandi nullam habere.*

Sicut autem plena praeceptorum cognitio efficit, ut ea in sua obligandi vi, ideoque in vera praecepti ratione extent: ita e contrario inculpabilis eorumdem oblivio vim obligandi eis adimit, quod et per morbum quandoque fit, scilicet per phrenesim, amentiam, ingravescentem aetatem, tum etiam et privatim et publice evenire potest per desuetudinem, educationem, uno verbo vel per ignorantiam vel per inculpabiles errores diu lateque receptos. Obligationes autem ex facto positivo ortae, alio contrario positivo facto dissolvi jure meritoque possunt: potest enim qui legem tulit, commutatis circumstantiis eam abrogare; qui dominium proprietatis adeptus sit, idem relinquere et abdicare; qui contractum inierunt, consentientibus voluntatibus ab eo recedere; et ita porro: ut enim. IC. Rom. ajunt « Nihil est » tam naturale, quam ut eo modo nexa solvantur quo sunt » colligata ».

Praeterea praecepta legis naturalis cum absoluta tum relativa haud raro vim obligandi vel amittunt omnino, vel suspendunt ob jurium et obligationum seu potius ob physicam rerum actionumque collisionem et conflictum; quod cum res sit satis salebrosa in morali philosophia, in eaque facillime erretur, cumque ad praxim recta de hac re criteria pernecessaria sint: hinc diligenter quaedam generalia censeo adnotanda, quae satis esse possint ad peculiarium caeterorum casuum solutionem.

Tunc habetur vera obligationum et respondentium ju-

rium collisio ac conflictus, cum impossibile sit ut altera obligatio servetur, quin altera infringatur; nec jus quoddam salvum esse possit, quin aliud pereat. Necessarium, inquam, est adeo ut verus conflictus habeatur, quod ob circumstantiarum concursum homo alterutrum efficere debeat, nec ulla ei detur facultas ab hoc bivio evadendi; ex. gr. aut moriendum, aut meae vitae aggressor interimendus mihi sit: aut simulanda et neganda vera religio, aut incommoda multa perferenda et vitae cura negligenda: aut revelanda occulta alicujus crimina et machinationes, aut innocentium bona, vita, fama sine ope deserenda, et alterius libidini relinquenda, et ita de ceteris.

Jam vero cum absurdum sit, hominem ad impossibilia teneri, sequitur in vero duorum praeceptorum conflictu, aut neutrum, aut alterutrum tantum vim obligandi habere posse; ideoque vel ambo, vel unum saltem hoc in casu cessare, vel suspendi. At enim quae et qua ratione in conflictu vim obligandi amittunt aut differunt? Hoc scilicet magnopere interest cognoscere. Animadvertendum itaque primum omnia hominis jura, omnesque leges jurium custodes coordinari in privatorum et communitatis humanae bonum, et ad ultimum finem qui est vera felicitas.

In his autem juribus et obligationibus variae et distinctae species, ac gradus alii aliis superiores et conspirantes distinguuntur, ut antea declaravimus. Quae cum ita sint, patet legem quamlibet sive naturalem sive positivam non esse accipiendam et ponderandam, ut dici solet ad *literam*, et juxta verborum sonum; sed ejus spiritus et mens introspicienda. Namque leges omnes sunt norma, quae media disponit ad debitum finem. Quare si legis verba cum hac mediorum et finium coordinatione concordant, lex in sua vi perstat: sin minus, desinit et nulla fit: unde illud tamquam axioma in moralibus esto. *Cessante legis fine; lex ipsa cessat: sin ipsi ejus fini directe adversetur; lex in oppositam commutatur.*

Quapropter humani actus, qui per leges reguntur et conformantur, cum infinitas propemodum pati possint metamorphoses, variosque effectus producere, et in diversos fines dirigi; ideo dijudicari non debent, una tantum inspecta eorum parte, nec ab extrinseca et materiali, ut ita dicam eorum significatione: sed undique circumspiciendus est actus quilibet, et considerandum sedulo est, an finis directe intentus cohaereat cum intentione ordinatione et fine legum moralium, et utrum media ad eumdem adhibita proportionata ac necessaria fuerint. Quare statui debet actus humanos, unde duo vel plures effectus producuntur, quorum unum sit in intentione agentis, cetera praeter intentionem, speciem moralem recipere secundum id quod intenditur; non autem ab eo quod praeter intentionem eveniat: ideoque si finis intentus honestus sit, et ordinationi legis conformis, medium autem proportionatum sit fini, actus censetur honestus: ceteri vero effectus, qui per se mali forent, cum directe non intendantur, sed ex physica et extrinseca rerum collisione fiant, non vitiant honestatem actus, sed inter infortunia accensenda, vel alteri imputanda sunt. (Vide D. Th. q. 64 a. 7 in corp.)

Quibus positis animadverto: obligationes (idem dicito de juribus correlatis) quae in conflictu conveniunt, vel sunt ejusdem ordinis, et momenti, scilicet vita unius cum alterius vita, bona fortunae cum bonis aequalibus etc. conflictentur: vel sunt diversi ordinis et momenti; sed alia aliis praestant; ex. gr. divina cum humanis, bona spiritualia cum hujus vitae bonis, jura privatorum cum reipublicae juribus collidantur. Itemque vel neutrum ex iis juribus et praeceptis, qui in conflictu sunt, in aliud tempus differri potest: vel alterutrum saltem moram quodammodo patitur. Hi sunt possibiles collisionis casus. Unde tres canones exurgunt.

1. « *Si inaequalia jura et praecepta inter se conflictentur,* » *quorum nullum in aliud tempus differri possit: minus cedit* » *majori.*

Itaque primariis legis naturalis obligationibus, et juribus cedunt secundaria ex. gr. jura humana divinis: utpote si impii patris aut magistratus jussio fiat de neganda vera religione sub poena fortunarum omnium, vel etiam capitis, relinquenda vitae ceterorumque bonorum cura et impia mandata proculcanda: *obedire enim oportet magis Deo, quam hominibus.* Itemque leges omnes, quae *juris positivi* dicuntur, quaeque versantur circa ea quae de mero consilio per se forent; sed, accedente positiva lege, fiunt de praecepto, si ob circumstantiarum mutationem conflictentur cum praeceptis naturalibus; omnis eorum obligatio desinit. Quia eo in casu non esset amplius materia indifferens et de consilio, quae a legitima auctoritate ad praeceptum inflecti et determinari jure possit. Idem dicendum de conflictu bonorum temporalium cum bonis spiritualibus ad aeternam vitam necessariis: de conflictu vitae cum membris, vel bonis fortunae; privatae utilitatis cum reipublicae incolumitate etc.

2. « *Si aequalia ejusdem ordinis et indolis praecepta in* » *conflictu sint; invicem tolluntur: tunc datur libertas quae in quamlibet partem licite converti possit.*

Itaque si mea vita, et alterius; vel mea et aliena bona in discrimine posita sint: nec alia mihi sit facultas utrisque subveniendi: jure mea bona servabo, relicta aliorum cura. Nec tamen redarguendus; imo tamquam heros laudandus ero, si meae vitae curam deserere malim, ut amicum servem incolumem. Addubitari fortasse posset, utrum itidem ad servanda sua bona, vel ad vitam propriam ab imminenti periculo eripiendam, liceat ponere aliquid, unde alterius bona, aut vita periclitentur: ut ecce: subita vicini fluminis inundatio minitatur ruinam meo agro meisque gregibus, cujus vis, aggere opposito, reprimi possit, sed in alterius possessiones praeceps convertatur; vel aliquis a sicariis ad necem conquisitus eorum furori resistere nequeat, sed in currum desiliens possit, concitatis equis, vitam servare per unicam et angustam viam, quae ei praesto sit, in qua forte vel se-

nex invalidus, vel pueri ludentes commorantur. Itaque vel caedes a latronibus ei forti animo toleranda, vel innocentes illi conterendi sunt; et alia similia. Quibus generatim respondeo; si bona ejusdem ordinis sint, si verus conflictus adsit, vel ex physicarum legum collisione, vel iniqua aut stulta alterius voluntate exortus; cum actio nostra duos effectus producat, scilicet et nostram tutelam, quam directe et tantummodo intendimus, et alienam ruinam, quae praeter intentionem nostram eveniat; ea actio nobis tamquam iniqua imputari non debet. Neque ob hanc luctuosam rerum angustiam deserere cogimur curam propriae vitae, ceterorumque bonorum: quia plus tenemur nostrae vitae consulere, quam alienae. Utimur igitur hoc in casu jure nostro: ideoque aliorum perditio, vel infortunio, vel eorum ignaviae, aut malitiae attribuenda.

» 3. *Si alterum praeceptum moram nullam patiatur; alterum » differri in aliud tempus possit; istud, durante conflictu, suspen» ditur et cedit alteri, licet minoris, imo infimi gradus sit* ».

Etenim ut ait Genuensis (Diceos. p. 1. c. 5. §. 17.) qui hoc differt non eximitur a lege: at alterum praeterire est legem infringere. Quapropter in eo casu lex utrumque tueri potest, unum in ipso necessitatis articulo, aliud necessitate et conflictu transacto; ita si a me depositum repetas ea in circumstantia, cum mihi moriendum sit, si id reddam: tibi autem nullum vitae discrimen immineat: tuum jus eo temporis articulo suspenditur. Cum autem omnia jura, quibus respondent obligationes aliquid *faciendi*, absque ulla temporis limitatione, sint ejus generis, quae differri possint: et ea quae inducunt obligationem *non faciendi*, moram nullam patiantur; recte docent theologi, *leges vetantes* in conflictu praevalere debere *praecipientibus* in quovis ordine et relatione. *Lex cole Deum* externis actibus est secundi generis; alia, *ne occidas* pertinet ad primum. Ea igitur in manifesto vitae discrimine licite differtur,

Haec generalia de varia indole et vi obligationum mo-

ralium et jurium bene retinenda sunt: maximo enim usui erunt in determinandis particularibus officiis, ut in Tractatu II passim apparebit.

APPENDIX

Disquisitio critica
de primo moralia cognoscendi principio.

Disseruimus in hac prima parte de supremo legis naturalis principio, quod vocant principium *constitutivum*, principium *cogens*, quo intelligimus causam realem, a qua originem et vim obligandi habent naturae praecepta, quaeque ut demonstratum est, nulla alia potest esse, quam « ratio et voluntas Dei ordinem naturalem hominis proprium conser« vari jubentis perturbari vetantis ».

Praeter hoc *constitutivum* principium moralium disciplinarum cultores, Germani prae ceteris Grotio posteriores, summo studio, et subtili indagatione perquisierunt, primum moralia *cognoscendi* principium; id autem intelligunt principium *logicum*, scilicet propositionem quamdam, *ex qua, ad quid obligati simus, illico appareat* (Heinec.): quapropter oportere, ajunt, ut hoc principium sit *primum*, neque ullo alio antecedenti indigeat, quo demonstretur, vel cui tanquam fundamento referatur et innitatur; itemque *unicum*, *verum*, omnibus hominibus *evidens*, et *adaequatum*, uno verbo intelligunt *propositionem generalem immediate notam in se tanquam axioma, ex qua veluti radice omnia et sola juris naturalis capita vel ultro fluant vel facile deducantur*. Hinc mentis aciem acuerunt, et totis ingenii viribus id perscrutati sunt; ac pene innumera, et inter se discrepantia effata protulere, unumquodque tanquam *primum*, *unicum*, omnibus *evidens*, et *adaequatum* cognoscendi principium proponentes, quisque de sua inventione contentus, et triumphans. (1)

(1) Vide Schwarz Institutiones J. P. universalis naturae et gen-

Itaque si hoc principium cognoscendi necessarium philosophiae moralis fundamentum haberi debeat, ut illi putant, timeo, ne scientia ista, in qua excolenda philosophi omnium aetatum praestantissimi tantopere insudarunt, et praeclarissima ediderunt opera, adhuc tamen inter desiderata ponenda sit. Quid igitur hac de re sentire debemus? Equidem paucis mentem meam aperiam.

Certum est in qualibet scientia, (non solum in iis scientiis, quae seposita reali objectorum existentia, in abstractis tantummodo conceptibus versantur, sicut mathesis pura; sed etiam in iis quae de mundo physico et morali disserunt) abstracta et generalia principia necessaria esse. Mera factorum cognitio, et expectatio casuum similium, quos alias experti simus, non est rationalis et scientifica; nisi enim per reflectionem a concretis proprietates quaedam abstracte considerentur et inter se conferantur, nullae regulae, nulla criteria efformari possunt, nec artes ullae, aut scientificae theoriae haberentur. Caeterum notiones abstractae et generales praesupponunt concretorum notitiam, unde per analysim secernantur, et abstrahantur. Ex quibus nonnullas summas et extremas ontologicas veritates, ut alibi animadvertimus, illico cujusque hominis mens attingit, scilicet ideam quantitatis geometricae, et arithmeticae, et ideam entis infiniti, quae humanae reflectioni obviae sunt et universae cum physicae tum morali degendae rationi singulis hominibus sunt pernecessariae. Principia autem ista, quae omnes, ut ita dicam, saltem in semine norunt, et quibus ad vitae usum semper utuntur, a praestantioribus ingeniis excoluntur in scientiis abstractis et ontologicis, quae summam quidem mentis humanae dignitatem faciunt; attamen pro certo habendum est, quod sicut notiones abstractae et generales a concretis et particularibus derivantur, ita per se nullius rei existentiam

tium p. 1. tit. 2. instruct, 3 - vide Heinnecium Elem. J. N. et G. l. 1 c. 3 - Vide Genuensem de principiis Juris naturalis l. 1 c. 8 usque ad c. 14 aliosque passim.

et naturam, demonstrare valent; quae nonnisi ex facto et experientia determinari potest, ad quam recte instituendam necessario adhibendae sunt notiones abstractae et generales; sed quae ex factis bene eruantur, iisque penitissime inhaereant: si enim in immensa possibilium sphaera mens evagatur, entia realia eorumque usus ab oculis nostris evanescit.

Cum itaque morum scientia reales et concretas hominum obligationes exhibere debeat, non ex meris abstractis principiis ea repeti potest; sed indiget notionibus concretis circa hominis facultates, indigentias, sociabilitatem. Quapropter abstractae notiones justitiae et honestatis, per se solae, exhibere tantum possent ontologicam quamdam disceptationem de justo et honesto: nunquam tamen ostenderent peculiaria hominis officia, quae ex sedula observatione ejus naturae per sensum intimum investigandae et ex accurata analysi propensionum et relationum, quas erga ceteros homines habet, determinanda sunt. Non potest igitur haberi principium unicum, abstractum, per se notum, ex quo solo omnia morum praecepta veluti corollaria deducantur. Sed si aliqua erit propositio, quae cuncta officia brevi complectatur, exhibeatque; haec potiusquam *primum* et fundamentale cognoscendi principium in philosophia morali, erit *ultima* scientiae hujus inquisitio, et complementum, quo particularium omnium officiorum, diversarumque specierum, et axiomatum minorum ac mediorum series pedetentim evoluta quasi in compendio exhibeatur, et universae disciplinae unicum criterium sub oculis ponatur.

Hinc facile patet, qui fieri potuerit, ut tot et tam inter se discrepantes prodierint generales propositiones, unaquaeque ab auctore suo veluti unicum et primum cognoscendi principium exhibita: illae enim nihil aliud sunt, quam ultima redactio, et consequentia doctrinarum, quas longa meditatione evolverant, et tanquam signum seu character et *tessera* opinionum, systematum, et sectarum philosophicarum, quibus studuerint et imbuti fuerint.

Et re quidem vera, ut sensualistas praeteream, qui cum omnes juris naturae nervos inciderint, et nihil in natura justum aut injustum esse comminiscantur, sed quasvis morales differentias ex hominum institutis et legibus repetant; conseqnenter ponunt « quod legislator praecepit, id pro bo» no; qnod vetuerit id pro malo habendum » (Hobbius) vel impudentins quoqne « quidquid libet, licet » et alia hujusmodi: ut praeteream quoque *traditionalistas* similesque philosophos, qui plus minusve jns inveniendae veritatis menti humanae denegantes pro criterio moralia cognoscendi aut *divinam revelationem* sive scriptam sive traditam, ant *communem sensum* statuunt: nonnulla dicam de ceteris philosophis, qui et jus in natura esse, et per rationem legis natnralis praecepta dignosci posse, profitentur. Unde pateat ex varia eornm indole et philosophandi ratione etiam varia criteria moralitatis edita fuisse.

Itaque philosophi isti vel methodnm analyticam vel syntheticam secnti sunt. Analysis quidem, si recte instituatur, et adaequate perficiatur, unam tantum viam, unum scopum ac terminum habere debet; synthetica vero methodus in generalibus et possibilibus occupata, nullis limitibus circumscribitnr. Hinc qui methodo abstracta delectantur varia moralia criteria ad libitum ponnnt, omnia quidem in se vera, sed nimis a rerum naturae applicatione remota.

Quod enim quaeso ad justitiae, et honestatis normas inter homines dirigendas vel exhibendas juvare possunt illa effata scholasticorum, aut platonicorum, et cartesianorum, aut rationis purae defensorum? « *Quod bonum faciendum, malum vitandum* » vel « *aeternam Dei legem servato* » vel » *Deum sequere, ejusque attributis vitam compone* »? Vel haec » *ordinem custodi* » *veritatem realem serva*: *rerum relationes ne perturbes*. Clariorem, credo, lucem effundent, qui ex tripode kantiano pronuntiant « *pure rationabiliter age* » *age juxta ideas rationis purae* » *illud semper in agendo dictamen teneto quod fieri possit lex universalis*; *vel normam eam ha-*

beto, quae evenire possit lex physica pro universis entibus rationalibus !

Quid de ceteris variis propositionibus dicendum quae ab analysi derivatae sunt? Qui ex felicitate recte considerata officia deducere volunt, seu (ut recentiores ex Germania loqui amant) quibus *eudemonismi* theoria placet, ii vel immediate cum Wolfio asserunt « *quae te statumque tuum perfectiorem efficiunt, facito : ea autem, quae te statumque tuum reddunt imperfectum caveto* » Vel qui ex mutua socialium officiorum exhibitione maximam utilitatem singulorum derivare censent, ii proclamant » *Societatis ingenio humano convenientem custodiam* » vel » *cuilibet homini, quantum in se, colendam esse, et servandam socialitatem* « vel » *neminem innocentem laeseris, si feceris in integrum restitue* » et his similia.

Quae postrema effata, et alia variatis vocabulis, re tamen idem referentia , ii tradunt etiam , qui ad gratuitum virtutis amorem omnia officia adducunt sive stoici, sive sentimentalistae, sive alio nomine censeantur : hi enim purum philantropismum vel societatis tranquillae custodiam , vel communem humani generis felicitatem in agendo nobis proponendam dicunt, et quidquid huic nobili sentiendi , aut censendi rationi conforme sit, quamquam utilitati nostrae repugnet, in virtutibus habendum esse, quidquid ei opponatur, vituperandum. Quae quidem maximi facienda sunt, et ad ethicum criterium exhibendum propius accedunt. Sin autem a nobis quaeratur, quod optimum et adaequatum ethicae criterium seu compendium censeri debeat, reponam non aliunde hoc derivari recte posse, quam ex iis, quae de naturali hominum statu, de naturalibus moralibus differentiis, deque earum constitutivo principio demonstrata sunt. Haec enim omnia jam in hac prima parte ad multa moralitatis criteria determinanda nos ultro duxerunt : et ad alia quoque determinanda in secunda parte deducent , scilicet de boni et mali moralis notione , de virtutibus et vitiis cum in genere tum in specie, de variis actionum humanarum fi-

nibus, deque summo hominis bono et felicitate. Interim vero dicam, generaliter moralium officiorum conceptum, ac rectum et adaequatum eorumdem epilogum ex ipso principio constitutivo erui debere. Si enim hoc nullum aliud esse potest quam « *ratio et voluntas Dei ordinem naturalem ho-* « *minibus convenientem conservari jubentis perturbari vetantis* » necessario sequitur, quamcumque actionem, vel dictamen, quod naturales proprietates et relationes a Deo constitutas, et absoluto ejus imperio munitas servat, justum honestumque esse, quod eisdem adversatur, iniquum et turpe: sive aliis aequipollentibus vocibus dicere possumus « jura cu- « jusque sive mundi Imperantis ac Domini, sive sui, sive « aliorum cum privata, tum publica singulis sua praestato « integra; nullius laedito : qui secus fecerit, huic nec vita « vitalis sit, nec divinas effugiat poenas necesse est. Haec « divinae mentis lex, haec praepotentis Dei atque rerum « naturae vindicis sanctio ». Haec autem omnia id tandem innuunt, ut in omnibus humanis actibus *ordo amoris* servetur, quae virtutis brevissima et vera definitio est. Quare hoc criterium ethicum apprime cohaeret cum iis, quae divinus legislator de hominum officiis sententiam rogatus sapientissime respondit « Diliges Dominum Deum tuum ex to- » to corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: » hoc est maximum et primum mandatum : secundum au- » tem simile est huic ; diliges proximum tuum sicut teipsum. » In his duobus mandatis universa lex pendet ».

Qui enim Deum super omnia diligit, is in se ipso ordinatus est, cum suo ultimo fini inhaereat; Deique suprema jura veneratur et servat: is quoque ceteros homines ad Dei imaginem et similitudinem factos, et ad eundem finem coordinatos diligendo recte adversus alios se habet, nulliusque proprietates putat esse violandas, et pro virili in quemvis humanitatis, ac beneficentiae officia elargitur. « Omnis ergo « lex in uno sermone impletur (dicam cum Paulo) diliges « proximum tuum sicut teipsum « plenitudo legis dilectio ».

Hoc autem, non tamquam principium cognoscendi et demonstrandi singula hominum officia habendum puto; sed veluti optima *redactio*, *compendium*, *summa* legis, ut apposite in Div. Literis hujusmodi dilectio dicitur » *ανακεφαλαιωσις τȣ νομȣ* » *recapitulatio* legis.



PARS SECUNDA

DE ACTIBUS HUMANIS.

SECTIO UNICA



Cum in prima generalis hujus tractatus parte de iis omnibus, quae *legem et obligationem moralem* spectant, satis, ut arbitror, disseruerim; superest modo ad plenam moralitatis ideam enucleate tradendam, ut in secunda hac parte loquar, de actibus humanis, qui sub regimine et cognitione obligationis moralis fiunt. Itaque primum disseram de *natura* actuum humanorum; tum de *objecto;* tandem de eorumdem *qualificatione* et *specificatione*. De natura, inquam, sed dupliciter: etenim humani actus bifariam considerari possunt, scilicet *physice*, inquirendo quae sit eorum natura per se inspecta; *moraliter*, si hosce actus consideremus cum relatione ad legem moralem, qua reguntur et modificantur, ex quo imputabilitatis criteria determinantur. Nihil autem de hac morali actuum humanorum indole noveris, nisi physicam eorumdem naturam perspectam habeas; de utraque igitur nobis distincte disserendum. Dein vero de *objecto* seu de finibus agam, ac praesertim de ultimo et supremo hominis fine. Unde denique rectam notionem boni, et mali moralis

virtutis et vitii, cum in genere tum in specie dilucide definire licebit.

CAPUT PRIMUM

DE ACTIBUS HUMANIS PHYSICE CONSIDERATIS.

Actus humani ii proprie dicuntur, qui fiunt ab homine, idest qui per liberum arbitrium ab eo eliciuntur. Status autem animi, in quo passive se habet, vel ejus actus mere spontanei, licet in homine sint, ei tamen non imputantur, neque humani appellari solent. Caeterum perceptiones, desideria, affectiones quaevis excitant in animo nostro activitatem spontaneam, motus instinctivos et indeliberatos: libertas autem nonnisi in has perceptiones et commotiones animi sive directe sive indirecte suum imperium exercere valet. Cum igitur *perceptibilitas*, et *spontaneitas* praebeant libertati materiam, ut ita dicam, et instrumenta, quibus sublatis nullus foret in homine liberi arbitrii usus: hinc qui indolem libertatis ejusque usum percipere velit, eum necesse est de humanis affectibus et motionibus ideam claram et distinctam habere.

Ne autem in hac per se satis ampla et perdifficili disquisitione aliena quoque immisceamus, notandum est, cum de humanis affectibus, et de animi permotionibus praesertim indeliberatis agitur, vel eorum indolem et *naturam intrinsecam* considerari posse, quatenus sunt animi modificationes; vel ea quae sunt iis *extrinseca:* scilicet si primum considerentur *effectus*, quos illi in hominis corpus producere soleant, utpote cum « Ora ipsa cernimus iratorum, aut eo» rum qui aut libidine aliqua aut metu commoti sunt; quo» rum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur ». (Cic. de Off. l. 1. c. 29.). Tum etiam si inspiciamus quomodo ex varia hominum constitutione, temperamento, aetate, ceterisque loci, temporis, consuetudinis, educationis adjunctis diversi affectus excitentur et alantur.

Jam vero primi generis tantum inquisitio ad philosophiam moralem, quae *de exemplari* a Bacone nominatur, proprie pertinet: reliquae vero aliarum disciplinarum proprium objectum sunt, scilicet medicinae, rhetoricae, atque etiam ethicae *applicatae*, quam Baco *georgica animi* dixit, nec non politicarum institutionum. Itaque panca illa quidem et brevia, sed re uberrima hac in re aphorismata dedit Hippocrates in opere *de aëre, aquis, et locis* qnae ad valetudinem referantur. Aristoteles autem l. 2. *Rhetoricorum*, ut oratorem in pertractandis animorum commotionibus instruat, de praecipuis affectuum generibus agit, accurate et acute statuens, qua ratione diversis animi commotionibus diversi homines facile afficiantur, et erga quos ita affecti esse soleant, et quas ob res. Nisi enim hanc practicam affectuum notitiam perfecte calleat orator, et nisi hominum mores et animos penitus cognitos ac tractatos habeat, jejuna exilisque tota ejus oratio fiet (1). Itidem sapientissimi philosophi hanc practicam humanorum affectuum cognitionem ad nobilissimum finem converternnt, ad mores inquam emendandos, et virtutes promovendas, rati « inutile fere esse » (ut ait Aristoteles) « virtntem nosse, acquirendae autem ejus modos, et » vias ignorare: nec de virtute tantum, qna specie sit, quae» rendum esse; sed et quomodo sui copiam faciat ».

Caeterum perutilem hanc moralis philosophiae partem, quae cum nostra *de exemplari* morum institutione penitissime copnlatur, praetermittere hoc loco cogimur, et nonnisi quaedam principaliora ejusdem et generalia aphorismata dabimus, ubi in particnlaribus officiis tradeudis de animi cultura disseremus. De qua nobilissima philosophiae moralis di-

(1) Cic. de Orat. l. 1 c. 12.
« Quis enim nescit maximam vim existere oratoris in hominum menti» bus vel ad iram, aut ad odium et dolorem incitandis; vel ab hisce » iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis? Qua» re, nisi qui naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque » eas, quibus mentes aut incitantur, aut inflectuntur, penitus perspe» xerit, dicendo quod volet perficere non poterit ».

sciplina, vehementer mirari et dolere Baconem novimus (l. 7 de Augm. Scient. c. 3.), eam *in corpus doctrinae* nondum a philosophis redactam esse, eamque inter *desiderata* ponit; et pro more suo scientiae hujus extruendae adumbrationem sapientissime tradit: cujus praeclara monita et praecepta utinam mihi contingat aliquando dedita opera prosequi! Sed de hoc alias: nunc primum examen de affectibus, quatenus sunt animi humani modificationes, quod in praesentiarum res nostra tantum postulat, diligenter instituamus.

ARTICULUS I.

De animi humani affectionibus.

Distinguunt metaphysici animi humani *perceptibilitatem*, quo in statu passive se habet, ab ejus *activitate*, sive spontanea sive libera. Jam vero omnes humanae affectiones quamquam intime et immediate copulentur cum activitate animi nostri, tamen nonnisi ad *passivitatem* et *perceptibilitatem* referri debent. Itaque in sequenti articulo de duplici illa activitate, nunc de perceptibilitate disseram.

Animus noster vel percipit sensationes, et ideas quales in se sunt, sine ulla cum aliis associatione et relatione; vel percipit quarumdam idearum ligamen ac relationem; et in utroque casu varia ratione afficitur. Jam vero in hoc perceptionum genere, quibus idearum rerumque associationem et relationem sentimus, comprehenduntur illae quae desideria appellantur, quaeque sunt causa immediata activitatis spontaneae et voluntariae animi nostri, et diversimode modificata constituunt, ut ita dicam, emporium affectuum et permotionum animi humani, quas Graeci πάθη vocant, nos vulgari nomine *passiones*. Itaque in primis desiderii natura examinanda est.

Omitto nonnullorum philosophorum non admodum aptas et claras definitiones, qui ajunt *desiderium esse inclinationem animi in quoddam objectum, vel propensionem seu conatum in*

perceptionem praevisam : non enim desiderii naturam definitiones hujusmodi demonstrant, sed tropicam locutionem praeseferunt a rebus materialibus depromptam. (Vide Galluppium Elementi di Fil. To. 5. c. 2. §. 9. e 10.). Ut desiderii natura intelligatur, ejusdem genesis attente investiganda est. Si supponamus hominem in primo gradu existentiae suae, qui unam vel plures eodem instanti sensationes gratas vel ingratas percipiat, is necessario vel gaudet vel dolet: cum autem ignoret, utrum eae cessare possint, et sibi invicem aliae aliis succedere; nullius quidem desiderii capax foret. Verum experientia doctus de varia sensationum et idearum serie ac successione, deque causis, quae illas in animum ingerunt, tunc memoria ipsi revocat in mentem statum animi praeteritum, atque imaginandi vis eadem objecta grata, vel ingrata, quae alias expertus est, ei repraesentat; simulque possibilitatem aut etiam probabilitatem ejusdem vel similis status futuri: atque hinc desiderium enascitur. Igitur in desiderio est perceptio mixta, qua animus eodem tempore afficitur modificationibus gratis et ingratis, easque mutabiles novit, scilicet aut dolet de praesenti statu (sive ob carentiam alicujus objecti boni, sive ob praesentiam objecti mali) aliamque meliorem conditionem exoptat; utpote sitiens cum cyatum aquae desiderat, qua sitim restinguat, eodem tempore et de praesenti ariditate dolet, qua male afficitur, et cupide intuetur perceptionem gratam status futuri, ubi sperat refrigerium aquae, qua hausta satisfactus quiescat; itemque aegrotus praesenti morbo confectus vehementer cupit valetudinem. Aut contra prospero statu gaudens, uti qui optima fruitur valetudine, desiderare potest hujusce boni conservationem, considerans faciles humanae vitae casus. Sunt igitur, ut ajebam, in quovis animi desiderio perceptiones gratae et ingratae una cum idea earumdem relationis et mutabilitatis. Atque istae perceptiones sunt conditiones necessariae, et tamquam elementa, unde desiderium enasci possit: desiderium autem nihil aliud est quam *appetitio boni cujus-*

dam cum apprehensione et aversatione oppositi aut relativi mali: scilicet aut appetitio consequendi boni cujusdam absentis et possibilis, remota praesenti molestia : aut appetitio conservandi bonum praesens cujus amissio probabilis censeatur. Itaque appetitio boni idest *amor*, et aversatio mali idest *odium*; nec non *spes* et *timor* in quovis desiderio reciprocantur. Attamen objectum primarium et ultimum cujuscumque desiderii semper est vel status vel res aliqua, quae accommodata videatur ad praesentem dolorem leniendum, ad indigentiam et vacuitatem animi nostri adimplendam: uno verbo objectum desiderii cujusvis est semper bonum apprehensum veluti nostrae respectivae indigentiae aptum: Ita ut illi ipsi qui adversa et noxia sibi comparant, falsa utilitatis opinione illusi ad ea rapiuntur. (Tullius De finib. l. 5. c. 10.) « Neque enim si nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos aut » alia exitia quaerant, aut ut ille apud Terentium, qui de- » crevit, *tantisper se minus injuriae suo gnato facere* (ut ait » ipsi) *dum fiat miser;* inimicus ipse sibi putandus est. Sed » alii dolore moventur, alii cupiditate; iracundia etiam multi » efferuntur; et cum in mala scienter irruunt, tum se opti- » me sibi consulere arbitrantur: itaque dicunt nec dubitant:

Mihi sic usus est: tibi ut opus est facto, face

Quare tamquam axioma a moralistis habetur, hominem necessario *bonum in genere* appetere: non quod bonum hoc *in genere* tanquam aliquid *reale* per se ipsum expeti possit, cum sit mera nostrae mentis abstractio; sed quia nihil homo in singulis suis desideriis, nisi quod aliqua specie boni reprehesentatur, appetat, vel appetere possit.

Jam vero si bonum quod appetimus consequamur, *satisfacti* quiescimus , et habetur desiderii expletio ac terminus, in quo animus *gaudet;* et status iste pro diversa animi modificatione, appellatur *voluptas, fruitio, laetitia, gaudium, exultatio.* (Vide Tullium Tusc. l. 4.) Adempta autem spe satisfaciendi desiderium, vel alia quavis ratione illud leniendi, *lassus animus cura confectus stupet;* atque hic quoque status

pro diverso aegritudinis gradu, et affectibus diversimode nominatur, scilicet *tristitia, afflictatio, luctus, angor, molestia,* et similia.

Caeterum cum inter vitae hujusce terminos et in hac rerum humanarum vicissitudine nulla detur certa securitas, nullum bonnm perfectum: e contra nullum sit malum, cui aliqua spes et levamen esse non possit; sequitur, stultis tantummodo et depravatae mentis hominibus accidere posse vel laetitiam et voluptatem gestientem et se efferentem insolentius: vel desiderium inexplebile, et aegritudinem prementem ac desperatam sine ulla rerum expectatione meliorum: nunquam vero id contingere posse sapienti, qui cum maxime secundae sunt res, tum maxime secum meditari solet quo pacto adversam aerumnam ferat, et cui certum est « aequam » . . . . rebus in arduis servare mentem, » non secus in bonis, ab insolenti temperatam laetitia. »

Nulla igitur vel maxime aerumnosa miseria unquam spe destituitur; nulla prosperitas humana sine timore.

Spes autem et timor, quibus omnia hominis desideria acuuntur, similem indolem habent; spes enim est *opinio explendi desiderium*: timor *opinio impendentis mali,* vel ut alii definiunt *aegritudo quaedam ac mentis trepidatio causa instantis periculi.*

Itaque utraque haec affectio est opinio appropinquantis boni vel mali. Quo probabilior percipitur in timore mali adventatio, et quo gravius id ac intollerabilius putatur, eo major timoris vis et conturbatio fit: viceversa juxta majorem probabilitatem consequendi boni, majoremque boni concupiti excellentiam, spes augetur. Timoris igitur vel spei intensitas proportionalis est *magnitudini,* et *probabilitati* vel mali vel boni appropinquantis; et utriusque rei *apprehensioni* seu *opinationi.* Quodvis teterrimum malum ne minimam quidem animi trepidationem excitaret, nisi ejus gravitas perciperetur, vel si optime ea perspecta sit, improbabile tamen censeatur. Quamvis maxime formidandum mihi foret

incendio domi meae conflagrare, vel ejus ruinis obrui; tamen cum satis remota et improbabilia haec pericula putem, dulcis mihi fit domestica commoratio, neque alibi securior placidos somnos sequerer. Pueros aliquando in maximis periculis versari ludentes videmus : vel cum nulla est timoris causa trepidare et expavescere, monstra sibi et formidanda mala fingentes. Igitur duae istae animi affectiones non tam ex objecti natura, quam ex subjecti opinione et indole dimetiri debent; non *absoluta* eorum vis est, sed *relativa* ad personae cujusque animadversionem et sensibilitatem. In quo (ut ea praeteream, quae ex educatione et consuetudine accedunt) magna etiam physicae corporis conformationis , et naturalis indolis habenda ratio est: idque in reliquis etiam affectuum speciebus considerandis. Cum enim adeo intimum animi corporisque commercium sit, ut alterius modificationes in alterum relativos effectus usque producant; nec ulla animi affectio et cogitatio vel suscipi vel retineri ac perfici possit sine corporis ministerio : cumque corporis machina in singulis hominibus varie conformata : et varia sanguinis , humorum , nervorum (qui sunt immediata sensationum instrumenta) ceterorumque materialium qualitate , proportione, et forma contemperata sit ; necesse est, diversis hominum *temperamentis* , diversa , ut ita dicam , *susceptibilitas* , diversaque *moralis indoles* respondeat. Apposita autem et distincta de hisce rebus consideratio ad ethicam practicam , ceterasque disciplinas quas superius recensui proprie pertinet. (Vide Jo. Gottl. Heineccii Elementa phil. rationalis et moralis p. 2. sec. 2.).

Haec satis dicta sint de desiderii natura, ceterisque elementis, quae in eo insunt, et inter se reciprocantur; deque ejusdem objecto idest bono in genere. Tot autem sunt humanarum affectionum seu desideriorum species , quae pro objectorum particularium, et relationum diversitate inter se differunt, ut impossibile prorsus sit eas recensere. Hoc unum adnotandum censeo , hominem non solum physica bona ut

reliqua animantia sentire et appetere, verum etiam intellectualia: quare humanas omnes affectiones bifariam distribui debere reperitur: unum genus est, quod omnia bona physica vel ad individui conservationem vel ad speciei humanae propagationem pertinentia comprehendit, et *appetitus sensitivus* appellatur; alterum quod in veri investigatione, in rerum harmonia, et honestate versatur, et *appetitus rationalis* nomine designatur.

Porro desideria quaelibet, si vehementiora sint et praevalentia, solent etiam nominari animi *permotiones* et *perturbationes*, vulgo *passiones*, id quod Graecis *πάθη*. Cum autem haec affectionum vis per repetitionem actuum humanorum plerumque efficiatur; hinc *passionem* definiunt multi philosophi *desiderium vehemens per habitudinem animo inhaerens.* Quamquam haec vis et constantia in desideriis uno tantum actu existere aliquando possit, tam ex personae indole, quam ex natura objecti concupiti. Uno oculorum intuitu Dantes Beatricis, Petrarca Laurae tanto correpti amore fuere, ut ejus vim tempus quidem augere, nunquam vero delere potuerit: quare simplicius et rectius *passio* definiri potest *desiderium vehemens animo inhaerens.*

Quae cum ita sint, falsa omnino censenda stoicorum sententia est, qui cum *passiones animi permotiones rationi et naturae contrarias* esse dixerint; consequenter docuerunt, omnes hasce animi affectiones, utpote per se malas, non eas temperandas vel circumcidendas vel amputandas, ut peripatetici putabant; sed evellendas animo et extrahendas penitus esse, iisque omnibus sapientem vacare oportere. Enimvero *passio* quaelibet, si in se ipsa consideretur, nihil aliud est nisi *vehemens desiderium animo inhaerens*: desiderio autem essentialis est boni alicujus appetitio, et mali eidem contrarii aversatio. Uno verbo quaelibet passio vel amor est vel odium, et in ultima analysi nonnisi amor propriae felicitatis est. Atqui amor propriae felicitatis essentialis est creaturae rationali; quod autem illi essentiale, id nec rationi nec naturae

contrarium dici, neque evalli ullo pacto potest: falsa igitur est stoicorum doctrina. « Purga ergo (dicam cum Augustino Enarr. 2 in Ps. 31. u. 5) amorem tuum: aquam fluentem in cloacam converte ad hortum . . . . . Numquid » vobis dicitur nihil ametis? Absit. Pigri, mortui . . . . . » eritis, si nihil ametis ». Scilicet objectum verum et utile nostris desideriis proponendum, eorumque impetus nimios reprimendos, vel socordiam excitandam, vera affectionum humanarum rectio admonet. Sicut enim passiones sine accurato regimine sunt teterrima malorum omnium causa; ita nulla ars, nulla scientia, nullum bonum inter homines esset, sublato humanae activitatis fonte, qui sunt amores animique nostri desideria.

ARTICULUS II.

De animi humani activitate spontanea *et* libera.

§. I. *De activitate spontanea.*

Praeter facultatem sentiendi impressiones objectorum externorum, et percipiendi rerum ideas earumque relationem, intuitivo sensus intimi testimonio certi quoque sumus de animi nostri *activitate.* Duplicis autem generis haec activitas est, accurate distinguenda; alia mere *spontanea* dicitur, alia *libera*: illa in homine quidem excitatur et movetur, sed ejus activitatis principium a natura est; hanc vim in se homo sentit, eaque oblectatur et sponte ducitur: altera vero ab ipsa hominis persona elicitur et imperatur, eique jure imputatur. Neutra ad actum descendit, nisi sensatio vel idea vel notio quaedam praecesserit: hinc tanquam axioma a metaphysicis ponitur, *voluntatem non ferri in ignotum*; *nil volitum, quin praecognitum.*

In quolibet autem desiderio objectum concupitum plus minusve distincte percipitur, et appetitionis motus illico, et semper excitatur, atque in illud fertur. Sunt autem quae-

dam primae animi motiones indeliberatae, quae praecedunt quamcunque objecti grati aut ingrati cognitionem, vel admodum vaga ea est. Nunquam tamen isti motus producuntur, nisi aliqua praecesserit sensatio, aut idea, quae sit causa immediata excitans motum quemdam, qui fertur in objectum homini nondum cognitum, sed a naturae Auctore praeordinatum. Ita infantulus vix in lucem editus, quamvis sua membra eorumque usum ignoret; tamen stimulo famis incitatus quaerit matris ubera, multos mirabilesque motus elicit ad lac, quod non antea gustaverat, sugendum et deglutiendum: aliaque bene multa considerari possent cum in infantulis, tum in adultis hominibus, quae peropportune fiunt, sola natura duce, quin praevideantur effectus et objecta, quibus respondent. Quarum rerum exempla in ceteris quoque animantibus passim videmus, quae vel doloris, vel voluptatis stimulo impulsa peragunt mirabilia multa, quorum praevidentia et consilium nonnisi in summi Conditoris mente est. Jam vero motus isti spontanei ab aliquo stimulo excitati, qui diriguntur in objectum animali peropportunum, quin ab eo objectum ipsum et ejusdem opportunitas praevideatur, *instinctus primitivi* appellari solent. In reliquis omnibus motibus spontaneis, qui a desideriis excitantur, voluntas fertur in certum praecognitumque objectum; hi tamen specie non differunt ab illis: in utrisque enim eliciendis non hominis arbitrium, sed natura operatur. Itaque quot sunt desideriorum species, totidem recenseri possent instinctuum species, iisdemque ferme nominibus designari. Verum simplicius in duas classes eos distinguo, scilicet in *animalem* seu *physicum*, et *rationalem* seu *moralem*. Praeter animalem instinctum, qui tendit in objecta materialia et concreta, alium etiam praestantiorem in homine esse, qui in objecta intellectualia dirigitur, distinctum omnino a physico et animali instinctu, hominemque natura sua duci ad cognitionis et scientiae acquisitionem, cujus primaria quaedam ontologica principia illico mens humana attingit; nec non sensum appetitionemque ei esse in rerum har-

moniam, pulchritudinemque *idealem*, ut dici solet; hunc denique rationalem instinctum vel maxime excellere in ordine morali agnoscendo et adamando ; instinctive enim omnes justitiam honestatemquo sentire, ad eamque appetendam et sectandam naturae impulsu moveri; ab inhonestis autem et iniquis actibus, magis etiam quam ab iis rebus quae corpori nocitura sint hominis animum abhorrere et refugere , haec inquam omnia in prima parte abunde declarata, et demonstrata sunt.

Itaque existit in homine duplex haec vis instinctiva, duplici quasi suae vitae rationi respondens , *animalis* et *rationalis*: rationalis autem, si in veri investigatione versetur *bonus sensus;* si in pulchritudine ideali , *bonus gustus;* si denique justitiam honestatemque respiciat , *sensus moralis* appellari solet. Hujusmodi vires instinctivae , ut superius diximus, quasi inertes sunt, nisi aliqua sensatione , vel idea, vel desiderio provocentur , qua posita conditione , illico et sponte moventur. Quia homo essentiali propensione et amore ad felicitatem tractus, statim ac intuetur quoddam objectum suae naturae conveniens et gratum, subito motu in illud appetendum rapitur; secus autem refugit.

Igitur percipere et sentire objectorum sive sensibilium, sive intellectualium qualitates, easque desiderare, et spontaneos motus gratos vel ingratos habere, per se nec malum est, nec in nostra libertate positum. Ut enim inquiebam propensio ad felicitatem necessaria nobis est, quae, data occasione, illico sese exerit. Itaque omnia humana desideria, omnes isti subiti et spontanei motus sunt totidem rivuli ex amore propriae felicitatis manantes. Merito igitur motus isti passim dici consueverunt *spontanei, indeliberati, naturales, primi motus*, vel *primo-primi*, et similiter, aliquando etiam *animales* et *mechanici* praesertim si sermo sit de instinctu physico. Qui omnes a naturae Auctore dati, singuli ad bonum tendunt. Siquidem instinctus animalis ad individui et speciei humanae conservationem pertinet; rationalis vero aut ad ve-

ritatis cognitionem, aut ad bonarum artium culturam, aut ad morum disciplinam ordinatur.

Sunt autem certi fines humanis desideriis et permotionibus hisce spontaneis a ratione praescripti, inter quos ab homine continendi sint, de quibus suo loco agam. Interim vero animadvertere est, naturali sensu de his etiam limitibus omnes homines admoneri; ex eo quod inter ipsos instinctus accidit naturalis collisio, quae impedit, quominus alter alteri praevaleat: unde efficitur lex conservationis, compensationis, et aequilibrii, tum singulis hominibus, tum humanae societati conveniens (1).

(1) Che nell' uomo un istinto spesse volte si trovi in opposizione e contrasto con un altro istinto, questo è un fatto di sperienza universale, e d'intimo sentimento incontrastabile. L' istinto *spirituale* che mi porta ad amare ed a procurarmi l'acquisto delle scienze nelle quali trovo la felicità del mio spirito, soffre il contrasto dell'istinto *animale*, che fugge la fatica e la noja dello studio. Anche in queste cose puramente naturali si verifica il detto di s. Paolo (ad Gal. V. 17) : *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: haec enim sibi invicem adversantur* E lo Spirito S. dice: *corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (Sapien. IX. 15)

Tal conflitto è di un vantaggio grandissimo all' uomo. Un istinto serve di compenso all'altro per formare un certo equilibrio, e per dirigere l' uomo accertatamente al suo fine. Coll'istinto *animale* Dio provvede alla conservazione, difesa, e ben esser *fisico* d'ogn'uomo in particolare. Ma per questo solo si formerebbe nella società un egoismo distruttore. Ogn'individuo tirerebbe tutto a se, e tutto vorrebbe per se solo, niente pensando agli altri Viene ora l'istinto *spirituale*, e portando l'uomo ad acquistarsi la stima e la benevolenza degli altri, lo stimola a tutte le opere di beneficenza, alle imprese di coraggio, all'acquisto delle cognizioni, alla perfezione delle arti, e in somma a tutto ciò che può essere di piacere e di ajuto ai suoi simili. Ecco spento così l'egoismo nocivo, e formato un vincolo che unisce gli uomini in dolce società. Ma l'istinto *spirituale* lascia un gran vuoto nell'uomo. L' oggetto circa il quale si occupa questo istinto e al quale tende, come al mezzo prossimo per acquistar felicità, è la stima degli altri uomini. In tutti gli atti meramente interni, e in tutte le azioni segretamente fatte, tace l'istinto *spirituale*. Potrebbe dunque l'uomo, seguendo l'istinto *animale*, essere in segreto ingiusto, barbaro, traditore, mentitore ecc. senza contrasto dell'istinto *spirituale*; poichè le azioni segrete, non essendo note agli altri, non possono procurare negli altri nè lode nè biasimo. Parla allora con voci assai distinte l'istinto *morale*, e tormenta il cuore con

Ceterum perspecte cavendum est, ne forte putemus, hunc rationalem instinctum veluti certum homini dirigendo ducem a natura datum esse, cujusmodi sunt *mechanicae*, et *organicae* leges saxo, et plantae; aut ceteris animantibus physicus instinctus. Hunc autem errorem diligenter jam refutavi demonstrans contra *sentimentalistas*, moralem sensum regulam moralem esse non posse; quod pari modo aliis quoque instinctus rationalis speciebus aptari debet. Maximae tamen utilitates inde in hominum vitam derivantur. In primis enim vires istae tamquam semina et fundamenta vitae rationalis et moralis hominis animo ingeneratae efficiunt, ut prima quaedam criteria logica, aesthetica, et moralia firma et perspecta sint omnibus, quae si sequantur, nunquam aberraverint: sin autem opinionum commentis malaque consuetudine a recta via declinaverint, ab erroribus paulatim naturali ista vi revocentur. Historiam philosophiae, bonarum artium, et rerum omnium humanarum erroribus turpissimis, levitatibus, et falsis dogmatibus refertam videmus; attamen aberrationes istae temporariae sunt, et instabiles, nec longam successionem habent; interim vero prima et instinctiva illa veritatis criteria in tanta opinionum caligine remanent, et aliquando reviviscunt, simulque ea omnia recte a veteribus excogitata et inventa in suum splendorem majori etiam cum emolumento revocantur. *Opinionum enim commenta delet dies: naturae judicia confirmat.*

Praeterea quoad *moralem sensum*, de quo praecipue nobis ratio habenda est; licet iste per se, et generatim loquendo non sit regula moralis, qua justum ab injusto, honestum

acutissimi rimorsi, sicchè trova l' uomo la sua felicità piuttosto nel bene che nel male operare, anche in segreto. Di più l'istinto *spirituale* porta all'eccesso nel voler procacciarsi la stima altrui, e grandeggiar sopra tutti. Si adoperano perciò mezzi ingiusti; dove mancano i pregi reali, si chiama in ajuto la finzione, e l'ipocrisia. Questo vizio detestabile quanto è frequente è comune! L'istinto *morale* grida fortemente contro questo vizio, e non lascia godere in quiete il piacere di quella stima, che si è procacciata senza meritarla (Gianvincenzo Bolgeni Diss. sopra gli atti umani P. 1. c. 9 §. 4.)

a turpi discernatur (sensus enim hic quamvis in se rectus et in rectam viam impellens; potest tamen obscurari ac depravari); nihilominus incidunt aliquando tempora, cum nulla alia prudentior praesto sit regula praeter hanc instinctivam sensus moralis vocem. Id autem contingit in omnibus illis casibus, in quibus subita opera necessaria est, nec conceditur consilio tempus; uno verbo in casibus verae legum et jurium collisionis. Sicut enim instinctus *animalis* a subito et imminenti vitae discrimine mirandum in modum naturae ope nos eripit; ita etiam *moralis sensus* rerum angustiis vehementissime excitatus hominem ad agendum determinat: quem naturae impulsum, si diligenter postea ad examen revocabimus, nunquam a recto tramite aberrasse reperiemus. Nisi autem dicere velimus hominem in maximo moralis vitae negotio vel omni prorsus regula destitutum relinqui, vel ad impossibilia obligari; vel eum, qui a naturae Conditore hominis animo inditus est, moralem sensum hominem ipsum in angustiis positum ad iniqua et inhonesta impellere, quod nefas dictu est; concludamus oportet, in iis rerum circumstantiis, in quibus nulla vel minima examinandi et tranquille deliberandi facultas nobis conceditur, licite et recte nos agere, si quod nobis moralis sensus, seu ut dici solet, *bonus et communis sensus* suggerit, id ultro sequamur.

Passim autem sensus iste moralis unicuique maximo usui est in rebus gerendis, dummodo recta ratione diu excultus, et prudenti exercitatione sit informatus. Tunc ille jure fit norma et regula moralis recte agendi. Cum enim rationalis sensus ad rectum habitualiter conformatus sit, evenit, ut de rebus etiam gravissimis quae in deliberationem cadunt, celerrime et compendiario judicium feramus, quin a nobis ipsis, qua ratione id fiat, in praesentia animadverti possit: et quid agendum vel omittendum sit de quaque re nobis proposita, sine ulla errandi formidine, evidenter sentiamus. Exemplo sit medicus hippocratica sapientia apprime instructus, et in nosocomiis, atque in omni morborum et aegrotorum genere di-

ligenti cura diu multumque versatus; si forte ei occurrat aegrotus gravi et multiformi morbo correptus, saepe ictu oculi absque ulla dubitatione persentit veram morbi causam sub variis et repugnantibus symptomatibus latitantem, cui apposito opportuno remedio, ceteri quoque illius morbi effectus evanescunt, et infirmus mirifice convalescit. Hujusmodi *tactus*, seu *oculus*, seu *genius* medicus, qui dicitur (de quo ne ille quidem, qui eum sentit, rationem sibi dare potest, et si eumdem ad examen revocare velit, facile depravat) est effectus diuturnae experientiae et disciplinarum, quae vim illam naturalem et instinctum, ut ita dicam, medicum conformarunt et perfecerunt. Idem dicatur de *tactu legali* in judice et jurisperito, de *recto sensu* ad perdifficiles casus solvendos, et ad optima consilia suggerenda in doctore morali, de *genio militari* in excellentibus imperatoribus, de *tactu politico*, et *oeconomico*, de exquisito *gustu* in bonis artibus etc.

Quisque autem facile perspicit, esse quidem e natura vim, et praedispositionem ad haec omnia excolenda et factitanda, qua praesentimus veritatem, pulchritudinem, honestatem; attamen perfectio istius *gustus* vel *tactus* vel *moralis sensus* etc. in scientiis, in bonis artibus, in quibuscumque rebus peragendis nonnisi a recto rationis usu, et a diuturna ac diligenti experientia repetenda est; qua aptitudo illa naturalis facilitatem et rectum habitum induit. Quo adepto, etiam sine actuali examine et longa ratiocinatione, certus quisque moraliter est, recte prudenterque se gerere, dum sensum hunc rationalem, bono habitu conformatum veluti regulam tenet.

§. II. *De activitate libera.*

Haec censui sufficentia de activitate spontanea quae dicerem; nunc autem multo plura dicenda forent de praecellenti illa hominis activitate, qua constituitur *arbiter electionis, et eligens operationis; ipsaque ejus mens actionis fons est et origo.* Cum autem hujus libertatis natura et existentia

in psycologia contra fatalistas dedita opera declarata et demonstrata sit ; hinc praecipuas tantum notiones ad imputabilitatis criteria recte determinanda prorsus necessarias, hic tanquam aphorismata puto esse revocandas.

In statu *perceptibilitatis* animus passive se habet : in eo enim sensationum , idearum , et desideriorum modificationes tantummodo in se animadvertit ac percipit. Perceptiones autem sunt conditio necessaria, adeo ut voluntas hominis moveatur: quia voluntas non fertur in ignotum. Verum, posita cujuscumque objecti grati aut ingrati notione, animus ad felicitatem natura sua necessario tendens, primos ac spontaneos voluntatis motus, qui omnem deliberationem praeveniunt, illico experitur. In his autem omnibus natura agit in hominis animo , neque ullum vel minimum libertatis indicium habetur : imo positive sentimus nos aliunde affici et trahi, nec posse aliter sentire ac percipere ab eo quod actu sentimus ac percipimus; neque in nostra potestate esse habere vel non habere motus spontaneos praesentibus desideriis respondentes.

Cum autem variae ideae obversantur animo , et varia atque inter se diversa, vel opposita desideria, ac subiti illi voluntatis motus excitantur; in hoc desideriorum et appetitionum conflictu homo plenum rationis usum adeptus, suique compos ac vigilans, tunc vere se liberum sentit, scilicet nulla praeconceptorum motivorum vi necessario determinari ad hoc vel illud ; sed posse *indifferenter* et indiscriminatim aliud prae alio eligere , aut oppositum velle , aut omnia quoque respuere. Ideoque *indifferentiae* libertas haec praestantissima hominis potentia solet appellari, eaque definitur « potestas volendi aut faciendi id quod actu nec volumus nec « facimus; aut nolendi nec faciendi, quod in praesentia vo- « lumus, aut facimus ». (1)

(1) « Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod « in ejus est potestate velle et nolle , excludit determinationem ad « unum » (S. Thomas l. 1 contra gentes c. 68. n. 5.) « Potentia vo-

Ut autem hujus facultatis indoles et proprii actus ac limites distinctius declarentur tria considerari debent, nempe animi *suspensio*, *deliberatio*, ac *determinatio*. In desideriorum conflictu animus suspensus aliquantulum remanet, scilicet sentit desideriorum oppositionem; et ancipites voluntatis appetitiones ac motiones: hinc incipit libertatis dominium: potest enim vel in suspensione diutius haerere, vel nulla rerum animadversione facta, illico suspensionem abrumpere, seseque ad aliquid determinare, vel tandem opposita motiva expendere potest, idest *deliberare*, ut quod optimum factu sit videat, et si velit consulto *eligat*, atque ita per suam liberam electionem sese ad unum determinet.

Ut igitur libertas locum habere possit, non solum necesse est, ut menti praesto sint saltem duae ideae diversae, aut duae alicujus objecti qualitates, in quibus deliberatio institui possit; verum etiam requiritur plenus rationis usus et actualis animadversio. Etenim « radix libertatis est voluntas » sicut subjectum, sed sicut causa est ratio: ex hoc enim » voluntas libere potest ad diversa ferri, quia ratio potest » habere diversas conceptiones boni ». (S. Thom. l. 1 q. 27. a l. ad 1.) Quoties vero ratio in mente perfecta est, et in pleno suo exercitio, toties libertate arbitrii homo pollet; idcoque « necesse est quod homo sit liberi arbitrii ex eo » quod rationalis est ». (S. Thom. l. P. q. 83. a. 1.) Homini igitur vigilanti passim exercendae libertatis occasio datur.

Ceterum in libertatis usu probe distinguendi sunt actus mere interni ab externis. Potest e. g. homo sese ad aliquam meditationem determinare, dicens intra se, volo meditari hoc vel illud theorema euclidianum, et hinc tantummodo internis animi facultatibus utens integram demonstrationem percurrere. Omnes isti actus mere interni sunt, et *eliciti* dicuntur; actus autem libertatis externi, a mente et voluntate homi-

« luntatis, quantum in se est, *indifferens* est ad plura; sed quod deter- « minate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinan- « te, sed ab ipsa voluntate » (Idem 2 sent. d. 39 q. 1. a 1)

nis imperantur illi quidem, ideoque *imperati* nuncupantur, sed « mediante alia potentia exercentur, ut ambulare et lo- « qui, qui a voluntate imperantur, mediante potentia motri- » ce » (ait laudatus doctor). Itaque cum usus libertatis in rationis usu consistat, idest in actibus mere internis; sequitur nulla externa vi et causa intercipi aut cogi posse liberum hominis arbitrium, nisi indirecte, scilicet usum rationis auferendo. Vis externa nonnisi effectus externos, seu actus externe a voluntate imperatos cogere potest: possunt enim pedes ambulare cupientis compedibus constringi, vel os loqui volentis obstrui.

Quamquam imperium libertatis *directum* et *immediatum* intra hos limites concludatur; attamen ejus influxus *indirectus* ac *mediatus* latissime patet; ita ut fere omnia, quae in homine sive interna sive externa fiunt, licet natura sua necessario eveniant, nihilominus debeant ipsi homini tamquam auctori tribui. Status *perceptibilitatis* et *spontaneitatis*, ut saepius dictum est, necessitatis legi subjacet: cum enim natura omnibus animantibus *sensum et motum dederit, et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum;* hinc posita alicujus objecti sive boni sive mali perceptione, impossibile est, ejusdem qualitates et appetitiones ac motus spontaneos, qui in objectum illud illico diriguntur, non sentire, nec habere. Quomodo igitur, inquies, hae perceptiones et appetitiones, quarum homo non est arbiter et causa, dici possunt liberae eique imputabiles? Hae possunt jure liberae appellari, sed *mediate* et *in causa*, vel etiam *indirecte*; non autem semper. Quod ut recte intelligatur, animadvertendum est, hominem rationis compotem et experientia doctum causas rerum videre, earumque progressum, et consequentia cernere; idque cum in rerum naturalium et externarum cursu, tum in associatione et successione idearum, quas memoriae mandaverit. Praeterea multa praesto sunt homini media sive per potentiam motricem, et per corporis membra, queis sibi comparet et admoveat suis sensibus, vel

ab eis removeat ea objecta, e quibus sensationes praevisae excitentur; sive per animi facultates memoriam et imaginem praeteritorum et absentium sibi reprehesentare possit. Quibus positis, concludi debet, quod omnes illae perceptiones, et animi corporisque spontaneae permotiones, quas homo praeviderit, et tunc cum praevidebat, in ejus potestate et arbitrio erat vel ponere vel removere earumdem causas; quamvis necessariae sint eo ipso actu, quo easdem sentit, aut sponte agit; tamen mediate et in causa sunt liberae.

Praeterea multa nobis eveniunt ab objectis externis vel improviso et casu quodam, quin a nobis ulla ratione praevideantur; saepe etiam multas futuras sensationes et permotiones praevidemus, quae nobis invitis, a causis externis excitandae sint. Eademque est ratio idearum et phantasmatum mere internorum, quae sine opera nostra a memoria revocantur et imaginandi vi effinguntur in animo. Haec et effectus immediati inde profluentes neque in causa, neque in se libertati hominis tribui possunt. In his autem non solum datur usus libertatis *directae* in homine rationali, suique compote, quatenus libere potest vel consentire iis affectionibus suam voluntatem determinando, vel ab eis dissentire; verum etiam quia ipsa sensationum, idearum, et appetitionum perduratio et vis saepius indirecte vel imminui vel auferri penitus potest, aut removendo causas praesentes, aut sensus nostros comprimendo, aut mentis attentionem in alia objecta sive materialia, sive intellectualia convertendo, in iisque magna animi vi inhaerendo: tunc enim vel cetera evanescunt omnino, vel saltem levissima, et contemnenda fiunt. Quae si animi remissione facere negligimus, fortuitae illae, vel quoquo modo necessariae affectiones, appetitiones, ac permotiones nostra culpa perseverabunt, ac suam fortasse vim augebunt. Igitur hae perceptiones motusque spontanei *indirecte* liberi forent.

Ex hoc directo et actuali, vel indirecto et in causa libertatis imperio summi momenti veritas deducitur, quam per-

specte Malebranchius adnotavit, scilicet, hominem ideo errori obnoxium esse, quia liber est: hinc illa huic intime connexa, maximique usus in philosophia morali distinctio eruitur inter errorem et ignorantiam *vincibilem* aut *invincibilem*, de qua mox suo loco disseremus.

CAPUT II.

DE ACTIBUS HUMANIS MORALITER CONSIDERATIS

Ad moralitatem actuum humanorum constituendam non solum libertatem indifferentiae necessariam esse in homine, verum etiam adaequatam legis moralis notitiam rebus agendis applicatam in 1. parte hujus tractatus demonstratum est: ea enim definitur *uniformitas vel difformitas actuum liberorum cum lege morali.* Jam vero hanc practicam cognitionem obligationum moralium per *dictamen conscientiae* adipiscimur; idque duplicis generis est, vel *antecedens* vel *consequens.* Illud actionem antecedit, docetque quid faciendum aut vitandum sit, quid honestum, quid turpe: alterum autem post actionem factam decernit, utrum recte an secus se gesserit homo, utrum et qua ratione ei tribuenda, et imputanda sit actio. Itaque primum de conscientiae dictamine antecedenti disseram; tum de dictamine consequenti et imputatione.

ARTICULUS I.

De antecedenti conscientiae dictamine.

Conscientiae dictamen antecedens (1) definitur « actus in-

(1) Conscientiae dictamen solet etiam nuncupari solo conscientiae nomine; quae moralistarum appellatio confundenda non est cum *conscientia* proprie dicta, de qua Metaphysici disserunt; haec enim est *intimus sensus*, seu actus ille mentis nostrae, quo animadvertimus existentiam et qualitates nostrarum perceptionum et actuum internorum in quo neque error neque dubitatio ulla dari potest, sed habetur in-

» tellectus, quo judicamus aliquid hic et nunc agendum vel » omittendum esse tamquam bonum aut malum morale »; igitur hoc mentis nostrae judicium supponit et continet cognitionem obligationis moralis et actionis propositae notitiam cum suis omnibus circumstantiis, nec non collationem actionis ejusdem cum obligatione recte institutam. Etenim si dicerem: non licet mihi hanc Titii pecuniam usurpare; in hoc judicio ferendo necesse est, ut mihi perspecta sit lex illa quae vetat, ne quis aliena, invito domino, propria faciat; itemque cognoscere debeo, pecuniam illam esse Titii, sibi eam retinere statuentis, vel saltem non constare de ejus voluntate, quasi mihi eam donare velit. Itaque in quovis conscientiae dictamine ratiocinatio instituitur, quae simpliciter per syllogismum reddi potest, cujus major propositio est lex; minor est definitio actionis, quae in deliberationem cadit; consequentia est conscientiae dictamen, quo concludimus utrum actio proposita facienda vel omittenda sit. Hanc ratiocinationem per omnes suas partes aliquando distincte pronunciamus, utpote si dicerem: depositum reddi debet domino illud repetenti: atqui haec pecuniae summa, quae a domino Cajo repetitur, est meae fidei in depositum credita: ergo ea Cajo reddi debet. Saepius vero implicite loquimur, vel per entymema, vel per propositionem causalem etc. Verum omnes vel rudiores homines in proferenda sententia de justitia vel injustitia alicujus actus, etiamsi uno tantum vocabulo utantur, scilicet, *heu nefas*! *Absit*, *non licet*, *licet*, *aequum est etc.* tamen singulas ratiocinii partes persentiunt, et tenent; adeo ut si callide quemvis interroges, unamquamque syllogismi propositionem tibi singillatim respondebit. Ut cum e. g. villicum videas asellum sibi commodatum amico suo reddentem, et dicas: cur ei das asinum? Illico respondebit; quia

tuitiva evidentia summaque certitudo: quin imo sensus hic est ceterarum cognitionum et certitudinis cujusvis principium ac fundamentum: quod nullo pacto dici potest de conscientiae dictamine.

illius est, qui mihi gratis commodavit: et si insistas quaerendo; quaenam ratio sit, qua velit commodatum reddere; ridebit, credo, quasi tute ignores id, de quo ne pueruli quidem dubitant, reddendum unicuique quod suum est.

Quare concludi debet, legem naturalem esse eam quidem primigenium justitiae, honestatisque fontem, ac supremam actuum humanorum regulam, attamen *remotam*; conscientiae vero dictamen regulam *proximam* esse, et conditionem omnino necessariam, sine qua actus humani nec morales nec imputabiles forent. Etenim actus moralis et imputabilis est actus liber legi cognitae conformis aut repugnans, scilicet actus ille, quo homo eligens vel respuens objectum aliquod, cognoscit ejusdem honestatem vel turpitudinem, idest uniformitatem vel difformitatem cum lege morali. Jamvero haec cognitio particularis de qualitate morali actionum et objectorum de quibus deliberamus, nonnisi per dictamen hoc haberi potest: ea autem deficiente, impossibilis est deliberatio et electio moralis: eligi enim non potest quod penitus ignoratur: in quo autem deest potestas deliberandi et eligendi, in eo actus humani nec morales, nec imputabiles esse possunt. Actus inquam humanos, scilicet etiam illos, qui in se et sub aliquo respectu liberi sunt, sed libertate tantum physica; quemadmodum si quis libere eligat, seseque determinet ad manducandum cibum, vel potionem aliquam sumendam veneno infectam, de quo nulla suspicio ei sit, atque inde moriatur: nemo certe dixerit eum sibi mortem inferre voluisse; quia nullo modo eligere potuit venenum, quod penitus ignorabat; quamquam sub respectu boni vel mali physici in eo plena libertas fuerit, atque etiam libertas moralis relate ad legem abstinentiae et sobrietatis: quoad legem vero particularem suicidium vetantem, nec libertas electionis nec imputatio locum habet. Nulla enim imputatio esse potest, ubi non est libertas seu voluntatis electio; nulla autem deliberatio et electio datur, ubi motiva non adsunt; scilicet non solum ubi omnino desunt motiva, verum etiam ubi motiva non *per-*

cipiuntur ab eligente: etenim objecta non movent hominis voluntatem, nisi ejusdem qualitates actu percipiantur (1). Itaque nisi lex jubens aut vetans ab agente cognoscatur; aut cum lex cognita ei est, non itidem perspecta sit applicatio legis huic vel illi actioni per conscientiae dictamen facta, nulla in his casibus erit imputatio moralis. Stat igitur quod initio ajebam regulam proximam et necessariam actuum humanorum esse dictamen conscientiae.

Nemo de hac evidentissima veritate nisi jansenianus sophista dubitabit. Verum ut difficultates erroresque, qui occurrere possunt, scite praecaveamus et explanemus, animadvertendum est, non aliam quidem esse posse regulam proximam actuum humanorum, nisi conscientiae dictamen; dummodo vero sit rectum et firmum; scilicet judicium hoc de actus individualis honestate aut inhonestate recte instituatur, et vere certeque concordet cum lege morali: tunc enim habetur recta legis applicatio, et regula proxima plene consonat cum suprema et primigenia humanae vitae regula, cum lege inquam morali.

Ceterum non ita semper se res habet, imo persaepe contingit, ut vel addubitemus de rerum agendarum aequitate, vel falso etiam de iis judicemus. Cum enim dictamen conscientiae non contineat propositionem intuitive evidentem, sed cum sit consequentia ex instituta ratiocinatione descendens; hinc patet, omnes illas causas, quae homines in dubitationes et errores in ceteris ratiociniis inducere solent, naturalem mentis humanae brevitatem, oblivionem, inadvertentiam, insita praejudicia, difficultatem recte ratiocinandi, pigritiam, affectionum et passionum impetum, quae in moralibus praesertim judicia mentis perturbant, ac depravant, omnes inquam hasce dubiorum et errorum causas efficere, ut in dictaminibus moralibus deducendis saepissime vel du-

(1) « Actus judicantur secundum voluntatem agentium; voluntas » autem movetur e re *apprehensa* .... et secundum hoc qualificatur et » specificatur actio ». S. Thomas in c. 14. ad Romanos.

bia mens haereat, vel facile erret. Quapropter, nemine contradicente, conscientiae dictamen dividitur in dictamen *rectum* seu *verum*, si cum lege perfecte concordet; *erroneum* seu *falsum*, si ab ea sit difforme: itemque *firmum* seu *certum* dicitur, si quamcumque rationalem errandi formidinem excludat; secus *dubium* et *incertum*, in quo majores vel minores probabilitatis gradus haberi possunt. Quae cum ita sint, duae summi momenti quaestiones dijudicandae occurrunt. Quaeritur 1. quid censendum sit de homine, qui agit cum falso conscientiae dictamine; 2. quae sit regula certa recte agendi, quando habetur dictamen dubium.

Quoad primum dico, duplici modo dari posse falsitatem in dictamine morali; vel quia sit *praeter*, vel quia sit *contra* veritatem legis. Est praeter legis veritatem, cum quis censet actum aliquem esse obligatorium, de quo tamen nulla revera extet legis praeceptio: contra autem veritatem legis judicat, qui indifferens et libertati permissum putat, quod a lege omnino jubetur, vel quod prohibetur, id licere arbitratur aut etiam hominis officium censet. Jamvero perfacilis et evidens quaestionis dijudicatio est quoad eum, qui vel actum aliquem, qui indifferens per se foret, lege praeceptum putans, eumdem studiose facit: aut viceversa, qui firmum sed quacumque ratione falsum conscientiae dictamen habens, contra illud agit. Quamquam enim in utroque casu erretur; tamen in primo intentio agentis recta est, in secundo prava: alter fungitur officio boni viri, et virtuti ejus actio imputatur: quia legem, quam putat esse, sequitur, et legislatorem reveretur; alter vero peccat; eligit enim id quod pro certo habet esse vetitum, ideoque quamvis materialiter nullam particularem legem violet, quae revera non extat, tamen legislatoris auctoritatem contemnit, ejusque voluntas *formaliter* violationem praecepti diligit, et criminis reus efficitur ob generalem ordinis moralis contemptum. Enimvero tamquam axioma illud S. Thomae habendum est, *actus judicari secundum voluntatem agentium; voluntatem autem moveri e*

re apprehensa, et secundum hoc qualificari, vel specificari actionem.

Tota igitur difficultas in hoc consistit, utrum nempe excusari, aut etiam laudi et virtuti tribui unquam possit actio illius, qui dum violat aliquam legem quam ignorat, per falsum conscientiae dictamen putet rem honestam agere, vel etiam, si velis, officio suo fungi arbitretur. Si quis e. g. putaret ad infamiam aliave infortunia vitanda licitum honestumque esse sibi mortem consciscere, suicidii ne crimine reus esset, violentas in se manus inferendo? Atque ita porro de innumeris aliis, quae contra honestatem justitiamque naturalem, vel contra positivas leges cum falso conscientiae dictamine fieri possunt, addubitatur an unquam et qua ratione actio per se mala excusari possit, ita ut agenti nullimode crimini, sed aliquando etiam laudi imputetur. Ratio dubitandi ex eo est, quod in his casibus regula proxima actuum humanorum, seu dictamen conscientiae, opponitur regulae remotae, idest legi.

Hujus quaestionis solutio ex alterius quaestionis solutione pendet: utrum nempe in homine rationis usu perfecte pollente dari possit error *invincibilis* quoad officia praesertim naturalia. Qui enim sine ullo suae voluntatis abusu, et culpa de rebus agendis male judicat, is in iisdem peragendis neque in causa peccat, cum ei, ut supponimus, impossibile sit falsum illud judicium emendare; neque peccat in actu; quin imo, cum ejus intentio per se et ex sua sententia feratur in ordinis moralis custodiam, ejusdem actio etsi *materialiter* mala, *formaliter* tamen recta est: morales autem actus, ut saepius dictum est, non ex objectorum qualitatibus in se ipsis, sed *e re apprehensa et ex agentium voluntate qualificantur.*

Jamvero nonnulli philosophi et theologi in primis janseniani haeretici censent, nunquam dari posse in homine rationis usu fruente ignorantiam aut errorem *invincibilem* juris naturalis; *nunquam conscientiam falsam et erroneam quantum-*

vis intrepidam (idest firmam), *excusare a peccato, quotiescumque legi aeternae adversatur* (Ita in celebri conciliabulo Ultrajectino an. 1765. decr. X.)

Operae pretium est quaestionis hujusce statum praecise determinare, quo recte constituto omnibus, credo, sanae mentis hominibus veritatem facillime et planissime explicatum et illustratum iri. Non tam abstracta et generalis quaestio proponenda est, utrum nempe dari possit error in juris naturalis praeceptis; sed cum agatur de applicatione legis singulis actibus facienda, et de eorum *qualificatione* et *imputatione*: hinc quaestio nostra tota circumscribenda et reducenda est ad conscientiae dictamen, scilicet ad propositionem illam, quae deducitur ex collatione instituta inter legis praecepta et singulos actus, qui faciendi vel omittendi occurrunt; ita ut hoc tantum quaeratur; *utrum dari possit dictamen conscientiae invincibiliter falsum.* Quare satis erit demonstrare causam inculpabilem errandi vel in jure vel in facto dari posse, scilicet vel in majori propositione syllogismi, vel in minori. Quod si contigerit etiam demonstrare, in utraque defectum hunc invincibilem incidere posse; tanto magis propositio affirmativa demonstrata apparebit.

Causa vero erronei dictaminis potest esse ignorantia, inadvertentia, oblivio, error, sive quoad praecepti cognitionem, sive quoad facti adaequatam notitiam, et ejusdem collationem cum lege: uno verbo causa erronei dictaminis potest itidem esse sive *ignorantia* sive *error;* quamquam enim ignorantia differat ab errore, cum illa sit cognitionum carentia, hic autem sit judicium vero rerum statui repugnans; attamen tum ignorantia tum error in actuum humanorum moralitate identicum effectum pariunt, scilicet falsum conscientiae dictamen. Id evidens est quoad errorem: sed idem dicendum de ignorantia sive juris sive facti. Si enim in actione peragenda ignoro prorsus legem, quae eamdem vetet, licitam eam judico: *non cognovi* enim *peccatum nisi per legem.* Aut cum mihi e. g. perspecta sit lex, *non occides*; ignorem autem ex-

ceptionem dari in casu suae defensionis cum moderamine inculpatae tutelae, iniquum et violentum meae vitae invasorem perimere, cum nulla alia praesto mihi sit evadendi via, homicidium putaverim. Quod item in ignorantia facti evenit: certa mihi lex est, quae suicidium vetat; quaeque proinde vetat cibum veneno infectum sumere. At finge cibum vel potionem per se ceteroqnin salubrem, casu quodam aut aliena malitia peste ac veneno infectam, qua de re nulla omnino suspicio mihi sit; sine ulla conscientiae dubitatione lethalem illum cibum aut potionem recte sumi posse censeam; et ita de aliis.

Sed praestat accurate explicare, quandonam vera erroris aut ignorantiae *invincibilitas* habeatur: in hoc enim totius quaestionis cardo potissime versatur. Ignorantia vel error dicitur *invincibilis* (juxta vocabuli hujus significationem) quando nulla ratione evitari, ac vinci ab homine potest. Perspecte autem cavendum est, ne confundamus (quod passim adversarii nostri faciunt) possibilitatem *abstractam* et *absolutam* cum *concreta* et *relativa* ad personae et actionis propositae circumstantias. Aliud est enim quaerere an fieri possit in se et absolute loquendo, ut homo rationalis, quamtumvis ignarus, et praejudiciis irretitus ignorantiam erroresque suos tollat; ad quod satis est demonstrare nullam repugnantiam esse, quin rationalis creatura veritatem consequi possit. Aliud autem est quaerere, utrum hic et nunc in casu quodam particulari homini ignoranti vel erranti sit potentia libera et expedita juxta praesentes circumstantias ad veritatem detegendam, ita ut si in ignorantia et errore perseveret, voluntati ejus jure imputetur. Ita enimvero in concreto et relative ad circumstantias actuales possibile non est (excepto miraculo), ut incola ultimae Polynesiae, quo Evangelii praecones nunquam penetraverint, Christi mysteria et praecepta noverit: quia actu desunt ei media et lumina proportionalia ac relativa ad ignorantiam illam tollendam. Nemo certe dixerit infidelitatem hanc *negativam* ei culpae imputari:

quia nemo tenetur ad impossibile; impossibile autem est ad finem pervenire ei, qui mediis ad eumdem necessariis actu destituitur; etsi absolute loquendo non repugnet, ut incola ille in Christum credere possit, et mandata ejus facere. Idem dicatur de quavis ignorantia et errore in praeceptis etiam legis naturalis, aut in eorumdem actuali applicatione. Quoties desunt hic et nunc media prompta ac sufficientia ad veritatem declarandam; vel media ipsa eorumque usus necessario faciendus non animadvertatur; toties ignorantia et error erit *invincibilis*, nec ullo modo imputabilis: invincibilis autem ob impossibilitatem, non quidem abstractam et absolutam, quae ad rem nostram non pertinet; sed ob impossibilitatem actualem, concretam ac relativam, ex qua una actus humani imputabilitas determinatur.

Quibus positis dico, dari posse ignorantiam et errorem actu ac relative invincibilem tam in jure quam in facto. Et primum dari potest in jure, seu in cognitione praeceptorum legis naturalis (nam de legibus positivis nemo sane dubitabit). Verum hic praecipua eaque specie tenus gravissima difficultas illico occurrit. Videtur excusari nunquam posse ignorantia vel error in praeceptis legis naturalis, ex eo quod lex ista sit quasi insculpta in cordibus nostris, omnibusque rationis usum adeptis differentia inter justum et injustum, honestum ac turpe perspecta sit et cognita. Si quis autem in iis examinandis ac determinandis erret, id ejus socordiae, inertiae, aut malitiae *qui noluit intelligere ut bene ageret*, uno verbo ignorantiae vel *crassae* vel *affectatae*, ut ajunt, tribuendum videtur. Quod si in quolibet ratiocinandi genere verum est praeclarum illud Malebranchii effatum, hominem ideo errori esse obnoxium, quia liber est; multo magis errores in officiis naturalibus libertatis vitio imputandi sunt, ad quos vitandos instinctu naturali admonentur omnes. Attamen dico, nemo quidem inficiari potest, prima honestatis et justitiae criteria; jus suum unicuique tribuendum, prudentiam in rebus gerendis, in appetitionibus animi temperantiam adhibendam;

heminem laedendum et similia, intuitiva quasi evidentia singulis hominibus reprehesentari, neque ullam in his dari ignorantiam aut dubium. At haec generalia dictamina multa in se continent minora genera, et haec rursus derivatas alias officiorum species: quemadmodum ex eo principio quod statuit, neminem laedendum esse, deducitur nullius famam minuendam aut depravandam; nec animo nec vitae hominis injuriam inferendam ullam; nec aliena propria facere aut perdere fas esse: inde fidem servandam, et aequitatem in contractibus ineundis caute circumspiciendam. Praeterea etiam in unaquaque horum praeceptorum specie limitationes et exceptiones multae occurrunt, quae maximas cautiones desiderant. Iniquum quidem est e. g. ex mutui contractu lucrum facere; at licet ne unquam, et qua ratione licet, pecuniam collocare, unde lucrum percipi jure possit? Omnibus itidem certum, homicidium iniquissimum esse facinus: at datur ne unquam facultas, et cui, qua de causa etc. jure hominem interficiendi? Et ut summatim dicam; in frequentissimis casibus, in quibus habetur jurium et legum collisio, quanta diligentia et intelligendi vis ac peritia necessaria est, ut vera collisio discernatur, et ex oppositis utrum utri praevalere debeat recte pernoscatur? Prima itaque morum dictamina omnes quidem cum rationis usu una illico vident: cetera vero inde derivata, per ratiocinia et aliquando nonnisi per longam et difficilem analysim multa cum diligentia deteguntur et determinantur: igitur ratio assequendae veritatis in hisce omnibus naturalibus officiis est sicut in ceteris sive abstractis sive naturalibus disciplinis. Jamvero, si non dicam in medicina, aut in universa physica, sed in astronomia, quae leges simplicissimas et perpauca elementa intuetur, et in mathesi pura, quae scientia quasi infallibilis censetur, tamen multi dantur passim errores, qui certe voluntarii non sunt: quia etiam viri praestantis ingenii, de una veritatis inventione diligentissime percupidi diu noctuque frustra saepe laborant, et in graves etiam errores labuntur; quanto magis

ignorantia et error *relative* invincibilis evenire debet in moralibus et ob rei difficultatem, et ob mentis nostrae brevitatem infirmitatemque, ob praejudicia longe lateque diffusa et una cum lacte instillata, ob impotentem passionum impetum cum in sapientibus, tum in minuta plebe? Hinc videmus gravissimos errores contra legis naturae praecepta in magnis populis diu viguisse, et tamquam honestos retentos, ut alias monuimus. Videmus quoque sapientissimos philosophos ac theologos contradictorias inter se sententias saepe propugnare.

Equidem verissimam Malebranchii sententiam duco, proprie dictos errores ideo homini accidere, quia, exceptis primis intuitivis notionibus, in ceteris veritatibus investigandis non ut machina ad certum finem necessariis legibus ducitur, sed quia libere procedit. Non inde tamen concludi recte potest, singulos errores singulis hominibus errantibus voluntarios et imputabiles esse: ut enim voluntarii vere dicantur, debet homo actu habere prompta et expedita media, eorumque usum sibi necessarium animadvertere, ut veritatem assequatur: quae, ut vidimus, persaepe in hominis potestate prorsus non sunt.

Sed hactenus de jure: quid autem dicemus de actionum cognitione et de recta earumdem collatione cum lege, quae fieri debet in minori propositione syllogismi, unde dictamen conscientiae deducatur? Si enim ignorantia et error invincibilis intrudi facillime potest in legum moralium cognitionem, etsi hae necessario et immutabiliter naturae systemati inhaereant; quanto id magis fieri necesse est in actibus humanis, et individuis hisce factis perpendendis, quae contingentia, mutabilia, et innumeris propemodum circumstantiis implicata cujusvis diligentissimi intelligentissimique prudentiam fugiunt?

Neque dicas: noli, incognita causa, proferre sententiam; si aequum censeas actum, cujus nondum adaequatam noti-

tiam habeas, neque plenam ejus cum lege convenientiam noveris; tibi imputandus est error, qui temere judicaveris.

Etenim hoc bene notandum est, non posse omnino homines in hisce factis examinandis consequi evidentiam et certitudinem, non dico mathematicam, sed ne physicam quidem et moralem proprie dictam, nisi in perpaucis admodum casibus, in ceteris autem et frequentioribus, nisi desipere aut de hominum societate et de vita ipsa decedere velint, una tantum probabilitate (ea quidem quae major haberi possit, quaeque vulgo moralis certitudo inferioris gradus dici solet) contenti esse debent. Nonne hac ratione practica, et probabili prudentia omnes prorsus homines duci debent in ciborum et potionum salubritate discernenda, in habitandis domibus, in incedendo, equitando, navigando, ceterisque artibus, vitaeque rebus gerendis? Quis nisi a communi hominum sensu alienissimus unquam dixerit, eum qui in consueta cibi sumptione venenum forte sumpserit, aut sub templi vel domus suae ruinis oppressus jacuerit, vel de curru ceciderit, aut naufragio perierit, suicidii reum esse, quasi haec vel illa pericula consulto et voluntarie adiverit, ex eo quod sine evidentia metaphysica aut physica, vel etiam sine summa et proprie dicta morali certitudine licite ea fieri posse censuerit?

Itaque concludam, evenire enimvero persaepe posse cum in jure tum in facto ignorantiam et errorem invincibilem, nec ullimode imputabilem. Ergo dari itidem potest error in conscientiae dictamine nulla ratione culpandus. Tunc autem error in dictamine vincibilis et imputabilis erit, cum 1. homini praesto sint media opportuna, quibus suarum obligationum notitiam actu adipisci queat: 2. Si sufficienter animadvertat, se teneri ad eadem adhibenda. Si utrumque vel alterutrum desit, ignorantia aut error, et actio per se mala inde peracta nunquam agentis culpae et vitio erit imputabilis.

Superest modo alia gravissima quaestio examinanda de dubio conscientiae dictamine, a theologis catholicis funditus pertractata et accurate determinata, quaeque multos, etsi

magni nominis philosophos in maximos errores induxit (1). In primis autem hoc pro certo statui debet (quod sane omnibus philosophis et theologis convenit) cum dubio *practico* conscientiae nunquam licite agi posse; sed hominis officium esse in suis omnibus dictis, consiliis, et actibus certo conscientiae dictamine duci. « Ante omnia opera verbum verax » praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile » (Eccl. 37. 20.). Omnibus enim exploratum esse debet, qui cum dictamine hoc dubio agit, eum ipso facto et aequitatem et legislatorem contemnere. Quemadmodum, si aliquid agerem quod dubitarem ne amico, aut parenti, aut homini cuivis graviter displiceret, certe amici, aut filii, aut hominis officium desererem. Quo optime referuntur ea quae Tullius dicit (de Off. l. 1. c. 9.) « Bene praecipiunt, qui vetant, quid» quam agere, quod dubites, aequum sit an iniquum .... » dubitatio cogitationem significat injuriae »: et illud Plinii (Ep. 1. 18.) *Quod dubites, ne feceris.* Quisquis igitur cum dubio *practico*, sive de actus *valore* ad certum finem obtinendum lege morali praescriptum, sive de *licitudine* suae actionis operatur, eumdem suam salutem spiritualem, et legislatoris auctoritatem parvipendere evidens est. Itaque *cum quolibet dubio practico tutior pars semper eligenda est.*

Quaestio igitur ad hoc reducitur, nempe, posito dubio *speculativo* de legis cujusdam existentia legitimitate aut sensu, quodnam sit certum conscientiae dictamen *practice* retinendum et sequendum. Jamvero imprimis dico, hominis officium esse mature rem perpendere, ut, dubitatione illa speculativa sublata, pervidere possit, utrum propositus actus sit libertati permissus, an sub legis imperio constituatur. Verum, si positis debitis diligentiis, adhuc vere et invincibi-

(1) Ut alios minoris notae philosophos praeteream, unum praeclarissimum commemorabo Antonium Genuensem, qui impiam, iniquam, imprudentem cum *Probabilistarum* tum *Probabilioristarum* sententiam censet, et tutiorismum aperte tuetur. *Diceos.* l. I. c. 4. §§. 20, et 21. Itemque *De Jure et Officiis* l. I. c. 4. §. 15.

liter lex dubia remaneat; tenemur ne obligationi morali incertae obedire, an recte haberi potest firmum conscientiae dictamen agendi quidquid nobis magis placuerit, atque etiam operandi contra incertam obligationem sine ulla peccandi formidine ?

Alii negant omnino, contra legem dubiam unquam licite agi posse; sed partem legi faventem (quae tutior est, ut ipsi ajunt, ad aequitatem servandam) sequi oportere. Unde *rigoristae* et *tutioristae* scholastico vocabulo passim nuncupantur. Alii affirmant, posita gravi, eaque vel *probabili* vel saltem *probabiliori* ratione dubitandi de legis vi et existentia, prudenter ac certo statui posse dictamen practicum, quod vocant *reflexum*, faciendi quidquid sibi magis placuerit. Alii denique nimis indulgentes, et habenas libertati relaxantes, docent, *cum probabilitate quantumvis levi*, quoad obligationis existentiam et valorem, *prudenter nos ad libitum agere posse*.

Dico itaque primam et ultimam sententiam, quae sibi e diametro opponuntur, falsas, absurdas, et moralitati inimicas omnino esse. Ab extrema autem incipiam, quae non dicam philosopho, sed cuilibet cordato viro falsa, et repudianda facile pernoscitur. Etenim hujusmodi homines pro basi suae opinionis ponunt, *legem dubiam nullimode obligare;* quo principio constituto, concluduut, cum probabilitate *quantumvis levi*, sive de existentia et valore legis, sive de ejusdem extensione et particulari applicatione, nullam esse, aut prorsus cessare moralem obligationem, et liberam dari cuique facultatem, seu potius licentiam operandi. Levissimam autem hanc probabilitatem esse posse ajunt, vel *intrinsecam*, si nos ipsi aliquam ambigendi rationem pervestigare forte possimus; vel *extrinsecam*, quae innititur auctoritati etiam unius vel alterius mediocris scriptoris contra communem ceterorum doctorum sententiam.

Equidem litem nullam hic movebo de principio illo *lex dubia non obligat*, recipiendum ne sit, aut qua ratione in-

telligendum. Sed data hujus principii veritate, neganda prorsus, quam illi inde deducunt, consequentia est. Etenim ut paragrapho antecedenti fusius demonstravi prima et generalia moralitatis criteria e. g. Deum saucte coleudum, jus suum unicuique tribuendum, societatis ordiuem custodieudum, et his similia non solum sapientibus, sed rudioribus etiam certa et perspecta suut, ac veluti insculpta iu cordibus omuium. In his metaphysica etiam evidentia et certitudo habetur: in secundariis vero et derivatis naturae praeceptis, multoque magis iu eorumdem applicatione, et in determinaudis dictaminibus practicis usui reique gereudae accommodandis etiam summi viri in errores, dubitationesque nullimode voluutarias facillime inducuntur: uude varias et oppositas opiniones inter doctores passim videre est.

Ceterum quamquam in permultis et frequentioribus vitae casibus evidentiam et certitudinem non solum metaphysicam, sed ne moralem quidem proprie dictam assequi possimus; tamen regulis prudentiae, et practica ratioue ac securitate coutenti esse debemus, quae consistit iu maximo, qui casibus occurrentibus detur, *probabilitatis* gradu: eaque esse potest vel *summa*, vel etiam *inferior*, quae viro prudenti sufficere debet, cum nulla alia melior occurrat. Jamvero hujusmodi ratio practica; et prudens securitas, cum non sit absoluta et scientifica certitudo, sed tantum *probabilitas*, etsi summa; necessario semper iucludit levem et contemnendam illam quidem, sed tamen aliquam rationem oppositam: ita possibile est, et aliqua levissima probabilitas habetur, quod aedificia licet solidissime suffulta corruaut, atque ita porro de reliquis et consuetis humanae vitae casibus: qui vero his rebus movetur, stultus habeatur: haec enim practica ratio et probabilis prudeutia iu consueto rerum humanarum cursu una regula est homini concessa, qua vir sapieus secure quiescit.

Quae cum ita sint, apparet, quod quisquis affirmat, cum *probabilitate quantumvis levi* contra legis cujusdam vim, et

applicationem prudenter et licite legem ipsam contemni posse, is obligationes omnes practica ratione certas eludit ac tollit, cum apparens et levissima ambigendi ratio semper possibilis sit, et nullum fortasse reperiatur flagitiosissimum etiam crimen, quod aliquem pseudo-philosophum, aut pseudo-theologum patronum non habuerit. *Nulla est foeditas sine amatore, nulla absurditas sine patrono*, ait Seneca. Hinc mirum non est, eos, qui hoc generale criterium statuerunt, multa impia, iniqua, crudelia et inhonesta, non solum sanae philosophiae, sed communi omnium hominum sensui repugnantia, tamquam licita impudentissime praedicasse (1). Merito igitur concludendum est, opinionem hujus furfuris hominum falsam omnino esse, effraenique licentiae aptissimam.

Turpitudinem superius refutatae doctrinae quilibet, nisi forte sit ex pecudum genere, ictu oculi persentit. Non ita profecto evenit in opposita *rigoristarum* sententia, quae prima fronte aequitatis et honestatis studiosissima videtur. Exemplo sint quae dicit Antonius Genuensis, (De jure et officiis l. 1. c. 4 §. 15,) qui commemoratis Ciceronis verbis paulo ante a me relatis, ita prosequitur « Qua in re gravior est, « et severior (Tullius), quam ii fuere nostri casuistae, « qui tradiderunt, in dubio potiorem esse conditionem li- « bertatis; et quod adhuc flagitiosius est, inter probabilius « et probabile, si probabile faveat libertati, hoc praevalere. « Quae scita ad leges eludendas comparata sunt. Siquidem « homines, quo recta finem suum petant, in cumque colli- « neent, non secus ac geometrae certa regula uti debent « ac constante. Si certitudo et constantia desit (deerit certe « in multis) verisimilitudo sectanda est : et inter verisi- « milia plura, si verisimilius constet, hoc optandum; ne vi- « dentes ac prudentes a scopo abberrare voluisse videamur. « Quod si post maturum examen adhuc in dubio res sit,

(1) Videsis apud Dominicum Viva propositiones hasce collectas, singillatim expensas, et refutatas.

« tutior pars est eligenda. Id cum tota hominum sapientia « personet, quid attinet convicta rebus verbis contendere ? « Est autem in dubiis pars tutior, non quae licentiae na- « turaeque libidini, sed quae legi favet. Nam cum lex sit « supremum Dei imperium, quo hominum vita coerceatur; « in dubio prius et potius apud nos esse debet, quam na- « turalis libertas etc. »

Haec quidem recta et honesta prima fronte, ut inquiebam, videntur; verum si rem penitus consideremus, aperte apparebit, non solum falsam et absurdam hanc doctrinam esse; sed perniciosiorem ea, quam modo refutavi, *laxorum* opinione, et moralitatem omnem subvertentem.

Et re quidem vera hoc specioso fundamento toti innituntur istiusmodi rigoristae. Sapientissima est (inquiunt) illa juris regula, *in dubiis tutior pars eligenda est*: quam si in humanis negotiis retinere studiose nitimur, quanto magis curare debemus, ut jura supremi Legislatoris nostramque spiritualem salutem in tuto ponamus? Quibus respondeo, verissimam quidem, et a principiis juris naturalis desumptam regulam illam, *in dubiis tutior pars eligenda est*; dummodo tamen intelligatur de dubio *practico*, de quo superius dictum est; vel de dubio *vincibili*: qui enim ob negligentiam aut malitiam dubitationes de suis officiis non tollit, is tuta conscientia et prudenter dictamen reflexum certum nunquam habere poterit; vel tandem si sermo sit de lege quadam, quae certe jam extiterit, sed dubitatur utrum hic et nunc cessaverit. Quia hoc in casu praesumptio et possessio legi favet: ideoque nonnisi per evidentem et certam demonstrationem vim obligandi lex illa amittere potest. Verum si intelligatur regula illa in sensu *tutioristarum*, nihil hac doctrina absurdius dici potest. Omitto enim quod cum de speculativo cujusdam obligationis dubio agitur, alia regula juris n. 192. declarat « in » re dubia, benigniorem interpretationem sequi non minus aequius esse quam *tutius* ». Sed dico, si vera esset interpretatio a *rigoristis* tradita regulae hujus, *in dubiis tutior pars eli-*

genda est, multae aliae sapientissimae regulae, tamquam huic contradictoriae, quas ab eodem juris naturae fonte derivatas in jure canonico et civili scriptas aeque ac illam legimus, repudiandae forent; quae omnes aequipollentibus verbis docent: quando aliqua obligatio solide dubia sit, potiorem esse conditionem libertatis (1). Sin autem diversa dubii indoles et ratio distinguatur, omnes regulae illae optime cohaerent, et rationi justitiaeque naturali conformes inveniuntur: scilicet cum dubio levissimo, aut vincibili, aut practico, aut cum dubio de legis antea existentis cessatione, *tutiorem partem* (nempe legem) *eligendam esse*: cum dubio autem satis firmo speculativo de existentia legis, libertatem non obligari. Idque rectissime sancitum est.

Et re quidem vera, ut in prima parte demonstratum est ad moralitatem actuum humanorum essentialiter requiritur libertas indifferentiae in homine, et adaequata legis moralis cognitio, quae limites imponat libertati. Prius autem homo

(1) Lib. 6. Decretalium R. 9. « Cum sunt partium jura *obscura*, reo favendum est potius, quam actori ». *Reus* dicitur ille, qui legis obligatione teneri supponitur : *Actor* qui juris ac legis partes tuetur : huic autem juxta axioma jurisprudentiae, *onus probandi incumbit*; et nisi jus *evidenter* et *certe* contra reum probaverit, reus a quacumque obligatione absolvitur. Similiter R. 65. « In pari... causa potior est conditio possidentis » R. 30. « In dubiis minimum est sequendum » scilicet ut Commentatores ajunt, *minima obligatio*. Cap. cum in jure 31. de off. et pot. Jud. de leg. Decretal. l. 1 quaeritur « si tibi super mandato apostolico haesitanti ab aliquo non sit facta fides etc. idest certe demonstratum non sit. Respondet Pontifex « Quod nisi de mandato Sedis Apostolicae *certus extiteris*, exequi non cogeris quod mandatur »: et R. 57. « Contra eum qui legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda ».

Similis est ratio juris civilis. Ita huic ultimae regulae consonat illa, quae extat L. Quidquid ff. de verb. oblig. « Quidquid adstringendae obligationis causa dictum est, id, nisi palam exprimatur, omissum esse censendum est ». Reliquis juris canonici regulis consonant hae, quae sequuntur J. civilis regulae. Lib. I. tit. 17 Digest R. 9. « Semper in obscuris quod minimum est sequimur ». R. 56. « Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt ». Reg. 126. «Favorabiliores potius rei, quam actores habentur » R. 126. « in pari causa possessor potior haberi debet ». R. 192. « In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus aequius quam tutius ».

supponitur rationalis et liber; dein superveniente plena legis cognitione, ejus libertas obligatur, et imputationi subjacet. Absurdum enim est creaturae nondum intelligenti et liberae leges imponere, easque vim obligandi habere posse. Igitur humana libertas ratione originis et ordinis est in sua *possessione* contra quamcumque moralem necessitatem, seu contra cujusvis legis obligationem.

Itaque homo postquam excessit ex pueris, cum, ut ita dicam, eo ipso temporis momento quo perfectum usum rationis acquirit, *primaria* legis naturalis praecepta certo cognoscat, illico ad ea servanda obligatur; neque enim unquam dari posse puto hominem perfecte rationalem, cujuscumque naturalis obligationis ignarum et prorsus *exlegem*. Cetera autem quae adolescenti paullatim innotescunt, cum *derivata* legis naturae praecepta, tum *positiva*, sive divina, sive humana, tunc primum incipiunt eum obligare, cum certa et adaequata eorum notitia ei facta sit. Quapropter nihil rectius et prudentius de suis officiis statuere, suaeque vitae degendae rationem ordinare poterit, quam si sic secum ipse proponat. Equidem omnes illas morales obligationes, quas certo cognosco, adamussim servare volo. Paratus itidem sum ea omnia quoque implere, quae in posterum a legitimis superioribus praecipientur; vel si jam aut in jure naturae, aut in jure positivo sancita sunt, statim ac in eorum cognitionem veniam studiose servabo. Cum vero de aliqua obligatione, qua forte tenear, dubitatio primum obversetur animo, illico omni studio et diligentia per me et per doctiores et prudentiores rem examinabo. Sin autem post debitas diligentias adhuc dubia obligatio illa remaneat; (jure concludit), hujusmodi anceps obligatio, si forte a Legislatore facta sit, non est mihi sufficienter promulgata; imo eam prorsus ignoro (1), neque me obligatum sentio. Atque hic rectissime ap-

(1) « Id enim opinatur quisque quod *nescit* » (ait Lactantius Divin. Inst. l. 3. c. 3: n. 8.) « Opinatio est judicare se scire quod *nesciat* » (ait Tullius l. 4. Tus. Disp.)

plicat ea criteria, quae in regulis utriusque juris sapientissime sancita fuisse vidimus, *in dubiis meliorem esse conditionem possidentis* (scilicet in nostro casu libertatis) *in dubiis benigniora praeferenda* etc. Quis itidem militem aut servum jure reprehendat, qui, cum certis imperatoris aut heri mandatis se studiosissimum dederit, reliquisque ejus voluntatibus se paratum ac devotum praebeat, ignotis autem aut prorsus incertis ejus imperiis non obtemperaverit ? « Si incer- » tam vocem dat tuba, quis parabit se ad bellum ? Nisi ma- » nifestum sermonem dederis, quomodo scietur id quod di- » citur ? Eritis in aera loquentes. Si nesciero virtutem vo- » cis, erit qui loquitur mihi barbarus » ait Paulus (Ad Corinth. c. 14) ; et Lactantius (L. 3. Div. Inst. c. 27 n. 3) « Stultissimi est hominis , praeceptis eorum velle parere , » quae utrum vera an falsa sint dubitatur » Si quis ex. gr. tanti quanti a peritis aestimatur domum quamdam sine ulla doli mali suspicione emerit, et soluta pecunia , illuc habitatum concesserit , se dominum et possessorem legitimum certo habet. Paulo post forte apud eum aliquis contendit , domum illam sui juris esse, et irritam fuisse venditionem , simulque probabiles et graves quasdam rationes sibi faventes affert. Tum emptor incipit de suo dominio solide dubitare, et de obligatione domum illi reddendi: juxta rigoristarum criterium, qui dubiae obligationi necessitatem obediendi imponunt, domus illa reddenda esset, eaque tutior pars censenda : attamen nisi evidenter et certe ab actore jus suum demonstretur, neque in foro externo, neque in foro conscientiae emptoris jura labefactantur: in dubiis enim melior est conditio possidentis. Simili ratione de milite, qui dubitet de aequitate belli gerendi Augustinus ajebat (Contra Faustum Manichaeum l. 12. c. 75.) : « vir justus recte potest , rege » jubente, bellare, *si certum non est*, esse contra Dei prae- » ceptum quod jubetur. » Itidem cuidam novatiano, qui negabat licere secundas nuptias inire. « Quo argumento id pro- » bas ? (inquiebat Gregorius Nazianzenus) Aut rem ita se

» habere proba; aut si id nequis, ne condemnes. Quod si » *res dubia est*, vincat humanitas et facilitas. »

Quae cum ita sint, concludam, quod posito vero et solido dubio (sive ut alii ajunt ob rationes graviter probabiles, sive ut alii malunt ob probabiliores); posito inquam dubio solido, eoque invincibili de legis alcujus existentia et valore, neque certo constet eam antea viguisse, recte prudenterque efformari posse practicum conscientiae dictamen *certum* operandi quidquid magis placuerit. Non quod ex illis opinionibus probabilibus et *dubiis*, tamquam consequentia dictamen hoc *certum* deduci possit: id enim absolute repugnat: sed quod, posito hoc satis gravi et invincibili dubio, ea principia rationis et auctoritatis firmissima locum habere cognosco, quae docent, in dubiis potiorem esse conditionem libertatis. Quare certus sum, quod si obligationem hujusmodi incertam violaverim, nullam neque legi, neque legislatori injuriam facio, neque ulli me *formalis* peccati, aeternaeque salutis periculo expono.

ARTICULUS II.

De dictamine conscientiae consequenti et imputatione.

Actus humanus dicitur *imputabilis*, idest talis qui possit recte censeri moraliter proprius et tribuendus personae, si non solum libere factus sit, verum etiam cum cognitione legis moralis actui illi applicatae per dictamen conscientiae quod *antecedens* appellavimus: adeo ut inferri possit actum hujusmodi *formaliter* seu deliberate fuisse legi conformem, aut eidem repugnantem. Itaque *imputabilitas* actuum humanorum est idea abstracta et generalis, qua significare volumus iisdem actibus conditiones illas convenire quae necessariae sunt ad moralem eorumdem *qualificationem*, ut dici solet. Uno verbo imputabilitas actuum humanorum est *capacitas* qualificationis moralis: actus autem intellectus, quo hanc qua-

lificationem facimus, scilicet quo judicamus de hisce actibus eosque auctori moraliter proprios tribuimus, est *imputatio*: quemadmodum in materialibus e. g. *combustibilitas* ligni est ejus capacitas et aptitudo ignem concipiendi et alendi; *combustio* lignorum est hujus proprietatis realis usus et applicatio. Haec idea imputationis comprehendit tam judicium, quod instituimus de actibus a nobis peractis, quam illud quod de alienis facimus. Quamquam accuratius distingui solet imputatio propria ab aliena, et illa appellatur dictamen conscientiae *consequens* idest « actus intellectus, quo judico aliquid » mihi agendum vel omittendum fuisse tamquam bonum aut » malum morale ». Cum autem judicamus de aliorum moralitate actus iste proprie dicitur *imputatio*, scilicet judicium, « quo actio quaedam alicui moraliter propria tribuitur, et » responsabilis declaratur effectuum ab ea provenientium ». Hujusmodi imputatio si a quovis homine de alio sibi aequali instituatur, dicitur *simplex*; si ab eo, qui in civitate jurisdictione pollet, *efficax* appellatur: quia conjuncta est cum potestate retribuendi, compensandi, et puniendi cujusque operas. Itaque dictamen conscientiae consequens et imputatio proprie dicta differunt inter se in accidentalibus, scilicet quoad diversas personas, quoad modum investigandi facti veritatem, ut mox dicam, et quoad modum vel spontaneum vel coactivum compensandi et reparandi effectus. Quantum ad essentialia inter se conveniunt, cum nihil aliud sint, quam judicium de moralitate actuum sive nostrorum, sive alienorum. Itemque utraque haec imputatio differt a dictamine conscientiae *antecedenti* ex eo quod dictamen hoc judicat de actionibus faciendis aut vitandis; illa fert judicium de actibus, qui cum antea fieri vel praetermitti deberent, tamen libere praetermissi aut facti sunt. Ergo ea omnia, quae de conscientiae dictamine generatim diximus, eadem utrique imputationi applicanda sunt: scilicet sicut illud per syllogismum recte exprimitur, ita imputatio; in quo major propositio exhibet legem; minor actionem sive a nobis sive ab aliis factam cum

suis adjunctis ad moralitatem requisitis; consequentia est imputatio. Quare si *praemissarum* propositionum cognitio vera et certa sit, imputatio quoque *vera* et *certa* erit; sin vel in utraque vel in alterutra tantum (quod facile, etiam invitis nobis, contingere posse vidimus) error aut dubium insit, imputatio habebitur invincibiliter *falsa* aut *dubia*.

Imputatio propria constituit id quod dici solet judicium *fori interni* et *conscientiae*, atque ut ait Nyssenus *domesticum tribunal*. Imputatio aliena *efficax* constituit *forum externum*, et *publicum tribunal legale*. Utriusque fori sententia praecipue versatur in peccatorum criminumque *qualificatione* et *responsabilitate* (liceat mihi uti ad rei claritatem vocabulis hisce barbaris, verum passim receptis). Judicium utriusque fori tria complectitur; primum peccati et criminis *qualificationem*, quo judicatur utrum crimen patratum sit, quaeque sit ejus *species* et *gravitas*; hinc decernitur quibus reparationis et compensationis legibus reus obligetur; tertia demum dijudicatio versatur in aequa sanctionis poenalis applicatione. Triplex haec sententia per syllogismum unaquaeque infertur; cujus major continet legem, minor facti definitionem, consequentia est judicium vel *qualificativum*, vel *compensativum*, vel *poenale*. Claritatis ergo accipe exempla. Qui ex proposito et intentione directa alterum interficit reus homicidii est: atqui Titius ex proposito et intentione directa Cajum interfecit: ergo Titius homicidii reus est. En judicium criminis *qualificativum*. Dein pergitur. Qui homicidii reus esse convincitur, tenetur compensare omnia damna, quae ex occisione uxori, liberis, aliisque illata sunt: atqui Titius de homicidii crimine damnatus haec et illa damna intulit: ergo ea compensare debet. En sententia *compensativa*. Tandem sic decernitur sententia *poenalis*. Qui homicidii *qualificati* reus esse convincitur capitalis esto: atqui Titius *qualificati* homicidii reus est: ergo Titius capitalis esto.

Duo posteriora judicia necessario innituntur primo judicio, quo declaratur utrum revera crimen alicui sit imputan-

dum. Nemo enim compensationi aut poenae subesse jure potest, scilicet nemo responsabilis habetur effectuum, nisi fuerit *causa moralis*. Nostrum non est hic disserere vel de regulis compensationis, vel de sanctione criminali: sed cum haec materia partim referatur ad particularia officia, partim ad positivas institutiones et sanctiones ; hinc generalia de injuriarum reparatione, et de poenis criteria ad tractatum particularem reservabo ; cetera positivae jurisprudentiae relinquam. Dicam hic tantum ea quae pertinent ad imputationem *qualificativam*, cum ut varia peccatorum criminumque natura et quantitas cognoscatur , tum ut utriusque fori cohaerentia, vel discrepantia recte determinentur.

Utriusque fori tam interni quam externi propositum in ferendo judicio qualificativo hoc unum est, scilicet definire naturam et gravitatem peccati ac criminis perpatrati; ut agnita facti veritate debitae compensationis onus decernatur, et poenae peccatis irrogentur aequae: secus autem , et a criminis imputatione, et a cujusvis responsabilitatis vinculis reus absolvatur. Quare tota dijudicatio versatur in hoc, ut cognoscatur utrum et qua ratione quis fuerit *causa moralis* criminis, de quo quaeritur: utrum nempe et quo libertatis moralis gradu usus sit in crimine complendo: ille enim tantum censeri potest vera causa moralis et responsabilis criminis alicujus, qui in eo exequendo animi corporisque facultatibus deliberate usus sit, et cum plena criminis cognitione. Porro eo major peccati gravitas censetur , quo plenior magisque spontaneus deprehenditur usus libertatis sive actualis et directae, sive indirectae et in causa. Quapropter in pensandis criminibus sequentes canones prae oculis habento.

1. « Quidquid excludit aut tollit facultatem sive phy-
« sicam sive moralem deliberandi, eligendi, et exequendi ,
« excludit aut tollit moralitatem actionis ».

Excludunt aut tollunt libertatem et moralitatem actionum *mera* animi *perceptibilitas* ; actus *mere* spontanei et instinctivi , qui omnem deliberationem etiam indirectam et

mediatam praeveniunt; carentia aut privatio rationis, utpote in infantia, somno, ebrietate, delirio, et amentia; tandem ignorantia aut error invincibilis; uno verbo physica aut moralis necessitas. In his enim omnibus non hominis persona, sed natura in homine agit.

2. « Quidquid imminuit vim hanc electivam, imminuit « peccatum male agentis; quia fragilitas potius, quam mali- « tia in hoc deprehenditur: auget meritum bene agentis, ob « graviora obstacula, quae in virtutis exercitio ei superanda « opponuntur ».

Imminuunt autem liberi arbitrii plenam deliberationem et electionem illae omnes causae quae spontaneitatem auferunt, mentisque serenitatem et tranquillitatem perturbant; quemadmodum sunt *coactio*, animi permotiones seu *passiones*, et *habitus. Coactio*, idest, *vis physica et externa*, *cui quis, etiamsi toto conatu renitatur, non potest omnino resistere*, actus quidem internos et *elicitos* non obligat, sed tantum externos et *imperatos:* attamen ob dolores, damna aut illecebras, quibus a vim inferentibus et cogentibus patiens afficitur, gravia ad peccandum voluntati praebentur incitamenta (1). Itemque ceterae etiam animi permotiones, sive metu et aegritudine, sive spe et voluptate, etsi non omne plerumque mentis consilium auferant, facile tamen hominis virtutem frangunt, ejusque voluntatem huc et illuc rapiunt. Id autem multo magis efficiunt habitus voluntarie suscepti; per eos enim passionum vis mirandum in modum augetur et roboratur: qui si ad malum assueverint, perdifficile admodum est adverso flumine adnavigare; adeo ut mirum non sit, si,

(1) Ita de Costantia et Piccarda Alighierius Par. C. 4.
Se fosse stato il lor volere intero,
Come tenne Lorenzo in su la grada,
E fece Muzio alla sua man severo:
Così l'avria ripinte per la strada
Ond'eran tratte come furo sciolte:
Ma così salda voglia è troppo rada.

flagitiosum hominem tandem, adspirante gratia Dei, ad bonam frugem conversum vel ipsis innocentibus facile aequiparari, et aliquando eos superare contingat.

3. « Quo magis directus et immediatus libertatis usus » et operantis intentio in bonis vel in malis actibus perpa» trandis fuerit; eo major censetur boni vel mali meriti im» putatio ».

In determinandis primariis liberi arbitrii criteriis, praecellentem hanc hominis facultatem dupliciter distinximus, scilicet in libertatem *directam et actualem*, *indirectam et in causa seu mediatam*. Prima illa in una actione peragenda occupatur, illuc intendit, ibique tota adhaerescit. Qui ergo actuali et directa intentione rem honestam aut turpem appetit et facit, in eo pleniorem virtutis aut vitii imputationem fieri necesse est. In usu autem indirectae et mediatae libertatis animus ad alia distractus, vel in causa occupatus, quasi longo intervallo interjecto, languidiori ratione intuetur effectus et parum advertit. Quae igitur in canone 2. dicta sunt, eadem indirectae et mediatae libertati aptari possunt.

Quare a moralistis et jurisperitis distingui solet *culpa* a *dolo malo; peccatum in causa*, aut repentino aliquo motu animi perpatratum, ab eo quod malitia idest versuta et callida nocendi ratione committitur. Culpam definiunt *voluntariam debitae diligentiae omissionem;* unde aliqua sive in Deum, sive in homines injuria sequatur. *Dolum malum* autem esse ajunt, *quodvis voluntatis propositum legem violandi et injuriam inferendi*. Verum in hac quoque directa peccandi voluntate maxima imputationis differentia ponenda est. « Etenim in » omni injustitia permultum interest, utrum perturbatione » aliqua animi, quae plerumque brevis est et ad tempus, » an consulto et cogitata fiat injuria. Leviora enim sunt quae » repentino aliquo motu accidunt, quam ea quae meditata » et praeparata inferuntur ». (Cic. de off. l. 1. c. 8.) De culpa autem et de dolo malo contra proprie dictam justitiam singillatim agam in 2. tractatu, ubi de officiis adversus alios

disseram. Nonnulla hic de peccato illo, quod a moralistis *peccatum in causa* solet appellari, censeo adnotanda.

Quisquis libere eligit et vult causam, eligit et vult effectus, quos ex ea producendos agnoverit: igitur qui actionem deliberate facit vel omittit, unde aliquid contra justitiam et honestatem eventurum noverit aut nosse debeat; effectus isti mali, quamvis actu necessario producantur, neque ullo modo impediri amplius possint, ei tamen in causa jure imputantur. Quia voluntas libera illa in causa, nisi expresse fuerit immutata, et stabili contrarioque proposito firmata, virtute sua perseverat et influit in actus omnes sequentes. Si quis e. g. sciens et prudens vino sese inebriaverit, multa turpia, iniqua, legique contraria in illo hebetudinis statu dicet, faciet, patietur, ei quidem improbanda. Itemque imperitus medicus, judex, aliique de sua ignorantia, deque officii, quod temere sibi assumunt, difficultate et responsabilitate conscii, in suo munere pessime fungendo graves injurias ignorantes at non innocentes inferunt. Diversa autem numero et specie peccata faciunt: peccant enim in causa peccato intemperantiae, aut negligentiae etc., idque *actualiter*; peccant autem in effectibus *virtualiter* contra modestiam, honestatem, justitiam, religionem juxta diversas obligationum species, quibus effectus illi opponuntur. Quibus ex rebus patet, *peccatum in causa* esse quamcumque actionem vel omissionem cuidam legi contrariam, quae hic et nunc necessario contingit; sed tamen est effectus actionis vel omissionis liberae, quae praecesserit, in qua praevidebantur vel praevideri debebant hujusmodi consectaria. Imputantur autem effectus isti necessarii, quatenus ab actu libero sint informati et perfluentes. Sin autem 1. in causa ponenda libertate morali plene liber quis non fuerit, utpote si imprudens et invitus inebriatus fuerit: aut 2. si libere egerit, tamen nec praeviderit, aut praevidere teneretur effectus, ex eo quod nulla inter eos et causam vel naturalis vel experimentalis connexio intercedat: aut 3. si in causa peccaverit, et pravos effectus

futuros sufficienter animadverterit, tamen per resipiscentiam pravam illam voluntatem immutet, et quoad fieri possit, necessarios effectus imminuat, et suum assensum omnino neget: tunc imputationi locus non est; quia effectus isti cum libertatis moralis radice aut nullam habuerunt unquam relationem et influxum, vel per voluntatis immutationem cessavit.

Quamquam autem ut superius dixi scopus utriusque fori cum interni tum externi unus idemque sit; tamen non raro contingit, ut de uno eodemque judicio diversae inter se, aut etiam contradictoriae ab utroque tribunali proferantur sententiae, et quod forte mireris, unaquaeque in suo genere vera et aequa. Undenam differentia haec? Et quae alteri praeferenda, aut quomodo inter se alia cum alia concilietur? Differentia hujusmodi non ex diversis juris principiis, quae eadem sunt, et utrique tribunali communia; verum ex diversis mediis investigandi facti veritatem exoritur. Etenim imputatio, seu sententia quae profertur, est *consequentia* ratiocinii: jamvero in majori propositione syllogismi (nam ratiocinatio haec per syllogismum praecise reddi potest) continetur lex, idest vel mera juris naturae principia, vel institutionum et legum positivarum praescripta, quae sunt totidem legis naturalis applicationes: neque enim humanae justitiae criteria naturali et divinae aequitati repugnantia esse unquam possent; sed unam ordinis moralis lineam servant, cujus radices in lege aeterna firmantur. Igitur in juris principiis ponendis et declarandis, idest in majori propositione syllogismi, quae constituit basim, cui judicium innititur, tam tribunal conscientiae quam externum tribunal aequalia omnino sunt. In minoris vero propositionis, seu in facti cognitione non semper consentiunt: quia non iisdem investigandae veritatis principiis utuntur. Etenim in foro interno reus ipse est suae actionis oculatus testis, accusator, et judex, qui omnes animi sui latebras per intuitivum sensus intimi examen perscrutatur, summamque evidentiam et certitudinem assequi potest. In externo autem tribunali nonnisi per accu-

satores, testes, et extrinseca monumenta juxta critices leges examinata ad facti cognitionem licet pervenire. Determinata autem facti notitia *secundum acta et probata*, quae moralem tantum certitudinem dare possunt, tum a posteriori per analogiam et humanae prudentiae regulas infertur actus humani vel innocentia, vel culpa, vel dolus malus et malitia, quae omnia insunt in hominis animo, quo acies pupillae non intuetur. Itaque jurisprudentia humana quoad facti disquisitionem, praeter regulas criticae, habet etiam generalia criteria *judiciaria* de externa actuum humanorum qualificatione, qui per inductionem internae moralitati censentur concordare. E. g. timor gravis inique et directe ad extorquendum consensum incussus jure naturae irritat vota, sponsalia, matrimonium, aliosque bene multos actus, et fortasse etiam reliquos contractus humanos. Jam vero timoris gravitas non est absoluta (Vide supra c. 1. a. 1.) sed relativa ad personae sensibilitatem, et periculi probabilitatem ac gravitatem opinatam. Quae omnia in immensum varia ut ratione quadam prudenti et generali usui externi tribunalis accommodarentur, sapientissime provisum est, ut ille tantum timor gravis habeatur, qui sit *cadens in virum constantem;* scilicet ex tali periculo et damno incussus, quod omnes passim homines, etiam forti animo, reformidant. Itemque ad discernendum homicidium ex ulciscendi cupiditate factum ab occisione, quae fiat ex inculpatae tutelae defensione, regulas illas praescriptas judicibus novimus in Solonis legislatione, in legibus XII. TT., et in Exodo, de nocturno latrone etsi inermi, et de diurno armato jure interfecto, et ita de ceteris.

Quae cum ita sint fieri aliquando potest, ut qui in foro externo innocens declaratur, is conscientiae judicio damnetur: aut qui secundum acta et probata criminis reus habeatur, idem in domestico tribunali omni peccato et omni culpa vacet. Quod si evenerit, quid censendum sit? De innocente, inquam, immerito damnato dubitatio et disquisitio fieri potest. Nam de sontibus et maleficis, qui forte judicum sen-

tentia innocentes habeantur, nisi passionibus prorsus excaecantur, nemo non videt per externam hanc declarationem, eos neque a criminibus, neque ab effectuum responsabilitate dissolvi. Innocens autem si certo conscientiae testimonio, se inique damnatum sentit, tenetur ne judicis sententiae parere et acquiescere, an ei licet aliqua ratione sibi injuriam compensare? Cui respondeo, quod sicut judicis sententia non efficit, ut qui in externo tribunali reus censetur, revera in conscientia criminosus evadat; ita si absolute et abstracte jus naturae consideretur, nulla compensationis aut responsabilitatis lege obligaretur, quae tota ex suppositione criminis et illatae injuriae derivatur: tamen in facto acquiescendum omnino est, et incommoda illa, sicut cetera naturalia infortunia, aequo animo toleranda, ne perturbationes, seditiones, et scandala in republica excitentur: privata enim utilitas publico civitatis bono posthabenda, et aliquando relinquenda nobis est. Nisi forte in aliquo perraro casu *occultae compensationi*, de qua suo loco agam, locus esse possit; quae tamen multas habere debet cautiones, neque unquam eam suo tantum judicio, sed prudentis viri consilio faciendam putaverim.

Itaque si publici tribunalis sententia aliquando intimo conscientiae judicio contradicat, criminosum nunquam a naturae obligationibus solvit; innocentem nonnisi per *accidens* obligat ad quaedam legis humanae onera subeunda. Ceterum in externo hoc tribunali, quo cautius bonorum juribus consulatur, *nemo praesumitur malus nisi probetur*. Sin autem ab *actore*, cui incumbit onus probandi, res in controversia posita probabilibus, at non certis argumentis probetur; possessoris et suppositi *rei* conditio melior censetur juxta juris regulas superius art. 1. relatas.

CAPUT III.

DE *OBJECTO* SEU DE FINIBUS ACTUUM HUMANORUM

Homo in omnibus suis actibus aliquem finem sibi propo-

nit et quaerit. *Agens non movet (seipsum vel alios) nisi ex intentione finis* (S. Th. 1. 2. q. 1. a. 2.). Finis itaque est id, cujus gratia aliqnid agimus, quod, ut ait Aristoteles, *appetitur propter se, et propter ipsum cetera.* Variae autem distingui solent a philosophis finium species, quarum praecipuae hae considerandae sunt; scilicet finis *proximus* seu *intermedius* actionis cujusdam ille dicitur, qui ordinatur ad aliud; finis *ultimus* ille, qui non ordinatur ulterius, sed propter seipsum appetitur. Cum aegrotus sumit medicinam, sumptio medicinae qnamquam sit finis immediatus et proximus agentis, tamen ordinatur ad sanitatem tamqnam finem ultimum. Plnres autem et diversi esse possunt fines *proximi* et *intermedii*, alter alteri subordinatns quasi per scalam et gradus continuos usque ad ultimnm, qno cum pervenerimus ab actione cessamns et quiescimus: ita aegrotus medicum accersit, ut remedia suae infirmitati opportuna cognoscat, iisqne utatnr ad crisim obtinendam, ut tandem in sanitate restituatur.

Praeterea distinguitur etiam finis *primarius* actionum humanarum a *secundario*: *primarius* directe et prae ceteris intenditur; *secundarius* ille est, qui indirecte appetitur, tamquam consectarium et aliqnid snperadditum *primario.* Ita finis *ultimus* simulque *primarius*, quem sibi proponit medicus in aegroti curatione snscipienda et peragenda, est ejusdem valetndo et sanitas: indirecte antem et secundario prae ocnlis habere potest grati animi, mercedis, et laudis emolumentnm.

Haec dicta sint de singulis actibns hnmanis, qui semper certum et peculiarem finem habent. Est autem et alius distinguendns totius hominis finis *supremus* et vere *ultimus*, de quo dici absolute potest, quod appetitnr propter se et propter ipsum cetera: quo scilicet omnia et singula desideria hominis et actns tendnnt velut in suum centrum, eoque obtento, nihil ultra qnaerat, idest *summum bonum*, seu *felicitas*, et *beatitas*; nam haec omnia revera unum significant. Quamquam enim distingui debeat bonnm in se a boni ipsins frui-

tione, seu bonum *objectivum* a bono *subjectivo*, cum illud sit fons et causa felicitatis, hoc autem ipsa hominis felicitas, seu status ille animi humani in quo gaudet et fruitur bonis; tamen cum in concreto quaerimus quodnam sit summum hominis bonum, quaerimus de participatione et fruitione boni ipsius seu de fine, in quo hominis desideria quiescant, ejusque animus gaudeat, felix fiat pleneque beatus.

Jam vero certum est, ut alias declaravi, hominem in singulis suis desideriis, volitionibus et actibus quibusvis nonnisi boni alicujus acquisitionem et fruitionem appetere. Quamquam autem singula objecta, quae a singulis hominibus expetuntur, varia inter se sint; tamen in hoc omnes conveniunt, ut quidquid appetunt et quaerunt nonnisi sub aliqua ratione boni appetant; uno verbo objectum voluntatis est tantummodo *bonum*, scilicet objectum quodvis particulare, in quo saltem species aliqua boni appareat (1).

Ceterum bona contingentia et finita, cum in desiderio sunt, avide expetuntur, et satis magna et perfecta videntur, experientia vilescunt: hinc ad alia et porro alia quaerenda animum convertimus, neque unquam quiescimus statum perfectae fruitionis usque exoptantes, in quo, ut ethnici philosophi ajebant, *secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio habeatur.* Itaque hoc « pro verissimo certissimoque po» nendum est, beatos esse omnes homines velle, idque unum » ardentissimo amore appetere et propter hoc cetera quae» cumque appetunt ». (S. Aug. lib. 13. De Trinit. c. 3.) Hinc (ut passim legere est apud S. Thomam) *beatitudo seu felicitas est ultimus finis hominum; beatitudo habet rationem ultimi finis; beatitudo est proprium et perfectum hominis bonum, status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Et sane essentiale est humanae intelligentiae, ut alias adnotavi, ut duas extremas ve-

(1) » Bonum est quod omnia appetunt: hoc autem habet rationem » finis. Ratio boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile: unde » philosophus dicit, quod bonum est quod omnia appetunt ». S. Th. I. P. q. 5. a. 4.

ritates ontologicas complectatur, ideam nempe abstractam quantitatis et entium contingentium: atque ideam infiniti et absoluti: a quantitate, entibusque finitis ac mutationi obnoxiis necessario mens humana assurgit ad ideam entis infiniti, immutabilis, aeterni. Itaque omnia bona finita imperfecta sentit: illud autem censet summum bonum et statum perfectae felicitatis, in quo nulla sit mali admixtio, nulla mutabilitas, aut timor, aut dolor; simulque habeatur omnium bonorum aggregatio immutabilis et aeterna. Haec est *idea* summi boni quam essentialiter mens humana sibi efformat; quoque mens nostra velut in finem ultimum tendit, et cum ea comparat cetera bona contingentia, eorumque gradum pensat.

Haec, inquam, est *notio* summi boni et felicitatis perfectae quam omnes habent, omnesque expetunt. Verum quaeritur utrum haec idea et appetitio summi boni sit mera nostrae mentis notio, quae nunquam suum complementum sit habitura, aut reale objectum habeat; scilicet quaeritur quodnam sit summum bonum, quod assequi revera possint homines. En investigatio, quae multos veteres recentioresque philosophos longe a veritate aberrantes fecit. Notissima enim est veteris philosophiae disquisitio *de summo bono*, quae (si unum vel alterum excipias, Platonem praecipue, qui ad veritatem propius accessit) ceteros veluti in labyrinthum opinionum involvit (Vide Tullium *De fin.*). Recentiores autem praesertim *panteistae* (Fichte in opere cui titulus *de hominis destinatione*, Schelling, aliique multi) generatim mundum sibi sufficientem faciunt, in quo infinita vis insit, quae necessario et infallibili progressu paulatim evolvatur ac perficiatur: quoad genus humanum autem pro certo indefinitam societatis *perfectibilitatem* habendam esse statuunt. Quare multo magis absurde quam veteres illi, qui in alicujus saltem vel physici vel intellectualis, vel moralis boni fruitione hominis felicitatem ponebant, docent isti ultimum hominis finem esse summam societatis humanae perfectionem, in qua secretis malis omnibus, cumulata habeatur bonorum complexio. Quae ge-

neralis, quam hujusmodi homines hariolantur, rerumpublicarum politica perfectio et felicitas neque praeteritis generationibus, neque nobis prodesse potest ; sed posteris, si snperis placet, reservata est : ideoque non hominis, sed humanae speciei ultimus finis ea foret. Itaque contra hujuscemodi deliramenta ea repetam, qnae de veteribns ajebat Baco (De Augm. Scient. l. 7. c. 1.) « Disputationes illas infinitas et » speculationes circa *boni supremum gradum*, quem *felicitatem*, » *beatitudinem, summum bonum* vocitarunt (qnae ethnicis in- » star theologiae erant) christiana tandem fides sustnlit, et » missas fecit. Quemadmodum enim Aristoteles ait, *adole-* » *scentes posse etiam beatos esse, sed non aliter quam spe*; eo- » dem modo, a christiana fide edocti, debemns nos omnes » minorum et adolescentum loco statuere, ut non aliam fe- » licitatem cogitemus quam quae in spe sita est. »

Vidimus (P. I. Sect. 3. cap. 1. a. 3.) nbi de sanctione legis naturalis egimus, in hac mortali vita, in qua bona sunt mixta malis, incerta, finita, fortunae temeritati obnoxia, perfectam felicitatem esse non posse : supremum bene beateqne vivendi gradum, quem assequi mortales possint, esse *mentem sanam in corpore sano* ac praecipue mentem ea sanitate praeditam quae nulli rerum vicissitudini subjacet, sed a nostra voluntate proficiscitur, idest animum bene virtutibus informatum, et honestatis justitiaeque sibi conscium : in futura tantum vita plenam pro cujusque meritis mercedem a Deo O. M. retribnendam ; ibique ultimum et snpremum hominis finem futnrum.

Itaque artium sive mechanicarum sive bonarum cultura et progressus, scientiarumque perfectio maximopere conducunt ad praesentem hominis felicitatem procnrandam; dummodo studiosa haec artium scientiarumque progressio vitae securitati, sanitati, et usni sit quam maxime accommodata; in primis autem bonis moribns et verae Religioni inserviat. Caveant ergo juvenes, ne temere nuperrimos novatores phanaticos et sophisticos sibi eligant duces, qui saniora criteria

deserentes, et religionem tamquam elementum secundarium, illudque variabile hujus civilis perfectibilitatis habentes, pleno ore rerum omnium progressum inculcant. Si verum humanae societatis progressum adamamus, ab hac levissimorum hominum via regrediendum omnino est, ut ad ea criteria et principia revertamur, quae a summis sapientibus, et *classicis*, ut dici solet, auctoribus consecrata sunt. Hac una via mentem sanam haberi posse censeo.

Jamvero quoniam hujus vitae felicitas praecipue consistit in ea pace et gaudio, quod exoritur a recta conscientia et a spe futurae retributionis, quaeritur utrum in futura vita merces virtutis sit revera summum bonum sine ulla mali admixtione, status nempe felicitatis perfectae, absolutae, et aeternae ? Cum propensio in eam felicitatem undequaque perfectam sit naturalis et essentialis creaturae intelligenti, ideoque ab ipso naturae Auctore indita; et cum animus natura sua sit immortalis; sequitur per solam rationem conjici quodammodo posse, statum futurae vitae fore in suo genere perfectum. Hinc Plato aliique ethnicorum sapientes felicitatem viri boni in ipso Divinitatis fonte hauriendam censuerunt. Ceterum sola divina revelatio plane demonstrat hanc summi momenti veritatem, aperiens infinitos divinae bonitatis thesauros in retribuendo non solum aequam pro meritis retributionem, sed mercedem nimis magnam, superefluentem, ac plane gratuitam et supernaturalem; quaeque immensis cordis humani desideriis satisfaciat. Haec autem erit participatio felicitatis ipsius Dei per *intuitivam* ejus visionem, quando videbimus eum non *per speculum in aenigmate*, sed *facie ad faciem* ac *similes ei erimus*, *quoniam videbimus eum sicuti est* (1. Cor. 13. - 1. Io. 3.).

Deus igitur alpha et omega, principium et finis; principium quidem, quia hominem creavit, eique naturae legem sancivit: finis autem, quia Deus ipse est summum illud bonum, quo semper tendit, et in quo tandem, si sobrie, juste, et pie vixerit requiescet. *Universa* quidem *propter semetipsum*

operatus es Dominus (Prov. 16.) « Omnem, qui invocat no- » men meum (per Isaiam dicit) in gloriam meam creavi eum » formavi eum, et feci eum ». Itaque ultimus finis Dei in suis operibus (ad extra ut ajunt theologi), est suae gloriae manifestatio. Posuit autem homini pro fine illius ultimo perfectam hanc supernaturalem felicitatem, in cujus assecutione homo necessario Dei gloriae inservire debet; in hac vita per suae voluntatis obsequium, in futura per aeternam D. Bonitatis et Perfectionis laudem. In quo beatitatis statu, quamquam pro meritorum diversitate diversi sint felicitatis gradus, et *torrens voluptatis* a Summo Fonte diversa mensura influat in beatorum animos; tamen omnes sunt plene satiati, et perfecte felices: quia essentiale est ipsi beatitati, ut voluntas beatorum divinae voluntati diversos gloriae gradus distribuenti plenissime conquiescat, et conformis sit.

Quae cum ita sint, concludam, quod sicut felicitas major quam in hac vita obtinere possimus consistit in conscientiae bonae testimonio; ideoque, ut Alfonsus Magnus Aragoniae rex, interrogatus quemnam in hoc mundo felicem censeret, dignam sapientissimi principis sententiam dedit; illum inquiens, qui vel in secundis vel in adversis Dei voluntati plenissime inhaereat et quiescat: simili ratione futurae vitae felicitas reposita est in perfecta adhaesione divinae voluntati, quae in intuitiva visione plenissime beatos facit.

CAPUT IV.

DE BONO ET MALO MORALI DE VIRTUTE AC VITIO.

Declarata indole tum physica tum morali actuum humanorum, et determinato eorumdem objecto, disserendum superest de eo, quod scholastico vocabulo moralis *qualificatio* et *specificatio* dici solet; scilicet tradenda est idea boni et mali moralis, virtutis et vitii cum in genere tum in specie.

Bonum morale est quicumque actus humanus morali ordini

conformis: malum autem quicumque actus humanus eidem contrarius. In hac definitione ponitur *actus humanus* pro *genere:* quia bonum aut malum morale non est neque potentia, neque affectus, neque habitus, necque actus mere spontaneus animi nostri; sed actus deliberatus, qui humanus proprie dicitur. Pro *differentia* autem ponitur objectum proprium et specificum hujus actus, idest uniformitas aut oppositio cum lege et ordine morali. Itaque inter bona moralia omnes actus humani, et ii qui sunt de *praecepto*, et ii qui de *consilio* sunt, includuntur. Praecepta enim imponunt ea, quae omnino necessaria sunt homini, ut convenienter naturae suae vivat, et ad ultimum finem tendat: consilia autem suggerunt quid magis expediat, ut facilius et perfectius per hanc virtutis viam incedamus; una igitur utriusque mens, una linea rectitudinis et aequitatis ab utroque servatur , a qua mala moralia tantum recedunt, scilicet sola praecepti cujusdam aut legis violatio. Omissio autem meri consilii inter mala moralia accensenda non est: qui enim actum de mero consilio omittit, is honestatis viam non deserit, sed minori cum perfectione et alacritate procedit. « Consilium est (ut sapienter monet » Augustinus De Virginit. c. 14 et 15) quo si uti nolueris, » minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis . . . » Praeceptum est hoc, cui non obedire peccatum est ».

Porro *virtutis* nomen, quod in amplissima sua significatione quamlibet perfectionem vel effectum excellentis vis potest significare, cum tamen ad moralia refertur , aliquando pro actu moraliter bono accipitur, proprie autem nonnisi *habitum* denotat, perpetuo inclinantem et inducentem hominem ad bona moralia obeunda : neque enim ex uno aut altero honestatis justitiaeque actu virum bonum et virtute praeditum dicimus, sed eum qui prompte et constanter viri boni officio fungi consuevit : similia dicito e converso de *vitio.* Igitur virtus et vitium differunt a bono et malo morali non ex objecto et *differentia*, quae una eademque est , legis nempe obsequium et voluntatis uniformitas cum ordine morali; sed

in *genere* tantum distinguuntur; cum ea consistant in *habitu*, haec autem in uno *actu* humano.

Itaque necesse est determinare quid sit habitus iste moralis. Nostrum non est disserere de habitibus divinitus *infusis*, sed tantum de *acquisitis*. Jamvero ut horum habituum natura recte intelligatur, haec, Aristotele duce (Ethicor. l. 2. c. 5.) animadverto. Cum virtus sit in anima nostra, et sit principium disponens voluntatem ad operandum; et cum tria tantum principia insint in anima, quae ad operationem disponunt, *affectus*, *facultates*, *habitus; aliquid ex iis esse virtutem*, *necesse est*. Affectus de quibus cap. I. disserui, sunt omnes animi nostri perceptiones, ac praecipue desideria et passiones, quae omnes reducuntur ad appetitionem boni cujusdam, vel ad aversionem a malo, ad amorem vel odium: *ea denique omnia quae voluptas vel dolor consequitur*. « *Facultates* » vero seu potentias eas (appellamus) quibus idonei esse di- » cimur, ut his omnibus afficiamur, idest quibus irasci, vel » dolere, vel misereri possumus »; uno verbo facultates animae sunt vel perceptibilitas vel activitas tam spantanea quam libera. *Habitus* tandem sunt eae *dispositiones animi*, *quibus vel bene*, *vel male ad affectus nos habemus*: e. g. habitus temperantiae vel intemperantiae est ea animi dispositio, qua vel bene vel male nos habemus ad cibi et potus usum : si enim sumus dispositi ad nimis vel parum manducandum et bibendum, male sumus dispositi; si sumus dispositi ad alimenta mediocriter, et prout oportet, bene sumus dispositi. Atqui virtus et vitium neque in genere passionis, nec in genere facultatis est; qui enim virtute praeditus est, aut vitio irretitus, is dicitur bonus vel malus, et laude aut vituperio, praemio aut poena dignus habetur. At nemo bonus aut malus, laudabilis dicitur aut vituperabilis, vel quia affectus sentiat, vel quia possit bene vel male agere: facultas enim sentiendi, aut volendi, agendique, et actualis sensationum idearumque perceptio, non ab hominis arbitrio, sed natura in nobis sunt et fiunt. *Si ergo virtutes neque affectus sunt*, *neque facultates*, *habitus necessario sunt.*

At undenam habitus isti originem ducunt? Natura idoneos non efficit ad acquirendas virtutes, non autem a natura eae nobis ingenerantur; sed quemadmodum disciplinae omnes et artes multo tempore, labore, et repetitis actibus generationem et incrementa habent, ita virtutes intellectuales et morales, non natura in nobis, sed repetitis actibus et consuetudine acquiruntur.

Et re quidem vera (Arist. loc. cit. c. 1.) « nihil ex iis » quae natura fiunt assuescere aliter potest; ut lapis cum » natura deorsum feratur, nunquam sursum ferri assuescet, » neque si millies quispiam eum sursum projiciendo velit as- » suefacere, neque ignis deorsum ferri, neque aliud quid- » piam aliter quam natura comparatum sit, unquam assue- » scet ». Itaque si temperantia, fortitudo, ceteraeque virtutes inclinationes naturales essent, non posset quis assuescere ad actus eisdem contrarios. Atqui et in artibus et in virtutibus evenit, ut sicut eae acquiruntur consuetudine bene agendi, ita consuetudine male agendi corrumpuntur. » Ex » eo enim quod citharam pulsant, et boni et mali cithari- » stae evadunt: eadem ratione quoque aedificatores et reli- » qui omnes artifices. Nam ex eo quod aedificant bene, bo- » ni; ex eo quod male, mali efficiuntur. Nisi enim ita es- » set, nullo opus esset doctore, sed omnes vel boni fierent, » vel mali. Ita igitur in virtutibus quoque est. Agendo enim » quae ad commercia hominum spectant, alii injusti, alii » justi efficimur; agendo quae in terribilibus rebus consi- » stunt, assuescendoque vel confidere vel timere, alii fortes, » alii ignavi evadimus. Pari modo in iis quae ad cupidita- » tes et iras pertinent, temperantes alii et mansueti, alii ira- » cundi et intemperantes fieri conspiciuntur: illi quod hoc, » hi quod illo modo in illis se gerunt; et ut uno verbo di- » cam, *ex similibus operationibus habitus fiunt* ».

Quare legumlatores toti in eo sunt, ut per suas leges cives ad recte honesteque agendum assuefaciant: hinc leges et respublicae bonae a malis differunt: bonae enim leges cives

bonos efficiunt ; malae autem non item. Quales igitur esse volumus, tales operationes reddere opportet: *quippe cum ex earum differentiis habitus quoque consequantur.* « Non igitur » (concludit Aristoteles ex sententia, quae est in Platonis » L. 2. *de legibus*) non igitur parum refert , sic ne an sic » statim ab adolescentia assuescat aliquis , sed quamplurimum, imo totum in eo penitus consistit » Tota enim vita pendet ab habitibus, quos a prima aetate acquirimus.

Quibus ex rebus quid sint habitus et qua ratione in nobis efficiantur , intellectum puto , ac definiri possunt *animi dispositiones ad aliquid constanter et faciliter agendum , ortae ex frequenti repetitione actuum similium.* Unde etiam virtutis et vitii natura aperte cognoscitur: *Virtus enim est habitus disponens et inclinans animum ad moralia bona discernenda et factitanda* : scilicet virtus est e genere habituum ; specifica autem hujus a ceteris habitibus differentia ex objecto proprio, seu ex ordine morali, quo tendit, constituitur. Cum autem, ut superius vidimus, ex similibus operationibus habitus fiant; cumque operationes istae, quae virtutem generant, sint actus moraliter boni, ideoque deliberati et imputabiles; sequitur virtutis habitum unius creaturae rationalis esse, eamque imputabilem : quare fit ut per hujusmodi habitus et homo ipse bonus efficiatur, et bona sint ejus opera. *Virtus est* (ait Aristoteles) *quae facit habentem , et opus ejus bonum* : quae contra eveniunt in vitio ; illud enim reddit malum habentem, et opus ejus malum.

Primum itaque virtutis munus est, ut efficiat hominem ipsum bonum, idest ejus animum perficiat. Atqui animi humani facultates bifariam dividuntur, in intellectum scilicet et voluntatem (quamquam hae facultates inter se intime consocientur et reciprocentur, sed eas mente et cogitatione distinguimus): ergo virtutes quoque secundum hanc differentiam in duo genera distinguuntur : aliae enim proprie versantur in cognoscendo et declarando quid facto opus sit , quid in singulis actibus expediat, quid non: aliae autem in

actione consistunt, scilicet in exequendis aut vitandis iis, quae complectenda aut fugienda esse, ratione duce, cognovimus; quarum primae ab Aristotele virtutes *intellectivae*, alterae ex more *morales* appellantur.

Variae ab eodem philosopho subtiliter distinguuntur et expenduntur *intellectivorum* habituum species; nobis autem de una *prudentia*, ceterarum virtutum moralium norma et matre, habenda ratio est. Itaque haec virtus non in speculativa rerum cognitione versatur, sed *est recta eorum quae agenda vel omittenda sunt cognitio.* Ne autem prudentiam cum *arte* confundamus, animadvertendum est, etiam artis proprium esse videre quid agendum aut vitandum sit, ut finem suum suumque effectum consequatur, omniaque praevideat et disponat, ut e. g. aedificium bene se habeat in ratione architectonica: prudentia autem respicit ea, quae bona vel mala sunt homini in quantum homo est. Dici igitur prudentia ea quidem potest recta agendorum et omittendorum cognitio, aut virtus, quae finem rectum discernit, ad eumque assequendum media proportionalia praeparat et suggerit: verum non ut ars finem quemdam particularem intuetur et solam operis cujusdam optimam effectionem; sed ipsum hominis finem ipsiusque hominis perfectionem intendit. En igitur vera et propria ejusdem definitio. *Prudentia est virtus, quae secundum honesti rationem quid agendum, quidve fugiendum sit homini proponit.* Itaque in rebus gerendis cavendum est, ne proposito nobis aliquo fine tamquam honesto, aut propter nimiam conficiendae rei alacritatem, aut propter ignaviam et pigritiam temere negligenterque agamus; quae vitia effugere qui volet, adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam.

Prudentia autem, dum vera hominis bona a fallacibus discernit, et media praeparat ad finem, ceteras virtutes morales antecedit, eisque viam demonstrat. Ceterum cum bona fallacia ad se alliciant, contra vero labores, dolores, incommoda, etiamsi subeunda esse recta nobis ratio demonstret,

nostrae tamen sensibilitati repugnantia et fugienda videantur; necesse est ut una cum prudentia, quae virtus intellectiva est, homini praesto sint reliquae etiam morales virtutes, quarum praecipuae sunt *temperantia*, quae voluptatis desideria coercet et regit; ac *fortitudo*, quae hominis animum excitat ad difficilia peragenda et perferenda. Temperantia lato sensu accepta est *virtus quae hominis affectum retrahit ab iis, quae contra praescriptum rationis eum alliciunt:* quo in sensu amplissimo contra eos, qui discendi cupiditate abrepti nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt easque non necessarias Seneca ajebat ; *plus velle sapere quam necesse est*, *intemperantia est.* Proprie autem et stricto sensu temperantia est *virtus quae sensuum voluptates moderatur;* quaeque sunt contra rationem, eas coercet, et amputat. Multae autem sub temperantiae genere species continentur ; cum ea, quae appetitum propriae conservationis dirigunt, quemadmodum sunt *abstinentia* et *sobrietas*, quae in recto cibi et potionis usu consistunt; tum eae, quae procreandi appetium spectant, illecebras sensuum continendo, et ea, quae hominis dignitatem dedecent, aversando, et arctissimos legitimae propagationis limites sanctissime custodiendo, utpote sunt *continentia*, *pudicitia*, *castitas* quarum virtutum genesim hic commemorasse sufficiat ; de iis enim in secundo tractatu particulari data opera singillatim disseram.

Hae omnes, quas recensuimus, virtutes in rebus ad voluntatem nostram fluentibus nos regunt, ne elati voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Fortitudo vero et reliquae virtutes, quae illam comitantur, hominis animum excitant, ne in adversis succumbat. Verum fortitudo, quae juxta vocabuli significationem animi robur designat, non pro quavis animi firmitate et constantia accipienda est: hoc enim unaquaeque virtus efficit, ut homo stabili et immutabili affectu praeditus agat. Atqui fortitudo proprie dicta est *virtus quae voluntatem inclinat ad rationabiles labores perferendos, et*

justa pericula aggredienda. Justa inquam pericula, eosque labores, quos recta ratio obeundos et perferendos suadet: nam ea animi elatio quae cernitur in periculis, si justitia vacat, audaciae potius nomen habet quam fortitudinis, ajebat Plato. Quare verae animi fortitudini, non solum *timiditas* adversatur, qua imminentia mala niminm, et contra rationem formidamns, aut *ignavia*, quae labores detrectat, nihilque magni audet aggredi; verum etiam *audacia* verae animi fortitudini est inimica, quando nempe homo sine utili ratione , reique obtinendae certitudine, aut magna probabilitate, ac sine necessitate periculi subeundi, omnia imprndenter audet, suamque ipsam vitam aliquando inutiliter profundit. Merito igitur ab Aristotele dicitur *fortitudo mediocritas inter metum et audaciam.* Igitur vir fortis ille est, qui honestatis causa, cum recta ratio suadet, graviora etiam pericula cum fiducia aggreditur, nullique neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunae succumbit: idem vero impendentia mala timet, et caute devitat, qnae et quando timere et cavere oportet. Hinc viri fortis est *magnanimitas* , qua ad magna et ardua maximeque utilia gerenda impellitur: ejusqne socia fidissima est *confidentia*, qua rationabiliter pro certo habet, se imminentia obstacula superaturum; idemque *patiens* est in malis praesentibus et inevitabilibus aequo animo tolerandis : est itidem *perseverans*, qui longo et perdifficili labore non animo cadit, sed bene coepta opera firmo proposito et studio usque ad finem perducit.

Cum autem (nt in prima parte demonstratum est) universa naturae lex eo intendat, ut jura cujusque integra serveutur, sive mundi imperantis et Domini, sive sui, sive aliorum cum privata tum publica , cumque legi huic *egoismus* cupiditatesque omnes usque repugnent ; hinc inter *cardinales*, ut ajunt, virtutes, recte a philosophis etiam *justitia* ponitur, quae ut Ulpianus ait *est constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.* Quae autem sint variae justitiae species sive Deum, sive nos ipsos, sive alios respicien-

tes, quaeque sint vitia eisdem opposita, in secundo tractatu particulari explicabo.

Hic tantum animadvertendum superest ad generalem illam proprietatem omnibus virtutibus moralibus communem et quasi characteristicam, de qua fuse agit Aristoteles (Ethicor. l. 2. cc. 6. 7.), quod scilicet *in medio consistit virtus*. Et re quidem vera ea est natura rerum continuarum et divisibilium, uno verbo quantitatis (quo in genere actiones quoque humanae continentur), ut sumi possint duo extrema, quorum alterum sit excedens seu majus, alterum deficiens ac minus; inter utrumque autem habetur medium. Jamvero omnis scientia et ars in suis operibus mediam viam tenendam praecipit, et extrema prohibet. « Quod si omnis scientia » ad medium spectans, atque ad ipsum sua opera dirigens, » ita opus bene absolvit, ut de bene absolutis operibus illud » dici consueverit, ut neque demi, neque addi quidquam » posse fateamur, quasi excessus et defectus, quod bene est » corrumpat, mediocritas conservet: si boni igitur artifices, » ut nunc dicebamus, ad hoc spectantes operantur; virtus » vero omni arte exactior est et melior, quemadmodum e- » tiam natura (praestantior est arte), efficitur procul dubio, » ut ea medii conjectrix ac collimatrix sit. De morali lo- » quor. Haec enim circa affectus et actiones versatur, in » quibus excessus, et defectus, et medium est, ut et timeat » et confidat aliquis, cupiat et abhorreat, irascatur et mi- » sereatur, ac demum laetetur et doleat magis et minus, at- » que utraque haec non bene. Nam quando oportet, et ob » quae, et erga quos: et cujus causa, et ut oportet, haec » facere medium est, atque optimum, id quod est ipsius vir- » tutis. Simili modo circa actiones est excessus, et defectus, » et medium. At virtus circa affectus actionesque versatur, » in quibus excessus peccat, defectus vituperatur, medium » autem et laudem et rectam exequutionem consequitur ». Itaque medium hoc quod servant virtutes omnes morales, est illa rectitudinis et aequitatis via, quae juxta pythagoreorum

doctrinam unica est ad finem consequendum; infinita autem sunt vitiorum diverticula et aberrationes, quemadmodum jaculator jacendo sagittam per unam tantum lineam et uno tantum proportionali ictu scopum attingit; quae linea media est et optima inter infinitas divergentes a scopo directiones, et inter telorum jactus, quae ob excedentem impulsum signum praetergrediuntur; vel ob deficientem ac languidiorem impulsum ad scopum non perveniunt.

Quae cum ita sint, quamquam virtus dici omnino nequeat *amor propriae utilitatis*, ut quidam falso putant (amor enim propriae utilitatis *in genere* essentialis et necessarius est; amor vero utilitatis *individualis* errori et vitio obnoxius esse facillime potest; e contra virtus est habitus electivus, et erroris cujusvis ac vitii expers); attamen verae utilitatis cum privatae, tum publicae (quod saepe dictum est, sed dicendum est saepius) una virtus causa est, quae cupiditatum omnium aberrationes coercet, hominemque in suo statu retinet, singulis sua jura integra servat, et ad ultimum finem recta via ~~hominem~~ deducit; et ut summatim dicam, ordinem desideriis et voluntati humanae perpetuo ipsa imponit et servat; adeo ut compendiaria virtutis definitio, quemadmodum recte Augustinus inquit, haec possit esse « Definitio brevis » et vera virtutis: *Ordo est amoris.* » (De Civit. Dei l. 15. c. 22.).

ETHICAE SYNOPSIS



Ethica idest *morum disciplina*, late sumpta in se comprehendit cum moralem *positivam*, quae auctoritati sive divinae sive humanae, tum etiam *philosophicam*, qnae rationis principiis innititur. Inter varias autem disciplinarum philosophicarum moralium species Ethica proprie dicta, de qua agimus, quam *puram* et *exemplarem* cum Bacone appellamus, definitur. *Scientia, quae ratione duce, moralitatis conceptum et criteria statuit, ac singula officiorum hominis naturalium genera tradit.* Quapropter Ethica pura distinguitur 1. a *Jure Publico*, quod, posita theoria de perfecta societate civili, ejusqus regimine, jura et officia, quae inter Principem Potestatem et subditos, nec non inter gentem et gentem naturae lege intercedunt, singillatim pertractat. 2. Distinguitur etiam Ethica pura ab *applicata*, scilicet ab *ascetica* (quam *georgica animi* Baco nominavit) singulis hominibus, et a *politica* universo sociali corpori accommodata: quae disciplinae ex constanti rerum humanarum experientia regulas practias deducunt ad inordinatos animi motus curandos, ad vitia removenda ac virtutes facilius acquirendas, veramque utilitatem cum privatam tum publicam procurandam.

TRACTATUS I. GENERALIS

DE MORALITATE ACTIONUM HUMANARUM.

Moralitas actionum humanarum est earumdem convenientia aut repugnantia cum lege morali. Primum igitur est de legibus, tum de actibus humanis disserendum.



PARS PRIMA

DE LEGIBUS

SECTIO PRIMA

Systemata philosophica de origine natura et principio constitutivo legum moralium.

I. Enarrantur philosophorum systemata.

Sensualistae naturalis legis existentiam denegant : nullumque bonum in natura esse ajunt nisi sensuum voluptatem, nullum malum nisi dolorem physicum: jus in vi positum ; societatem vero atque ideas justitiae et honestatis ex hominium institutione inductas, et ad eorum voluntatem variabiles esse.

Praescindentes legis naturalis existentiam asserunt , sublata tamen Dei imperantis et sancientis idea. In duas classes hi distinguuntur ; alia *eudemonismi* nomine designatur , seu systema de amore *mercenario* virtutis. Eudemonistae enim officia justitiae et honestatis habent tamquam media necessaria ad suam cujusque utilitatem vitae hujus sibi comparandam. Contra vero alia praescindentium classis , quae *philantropia* dicitur, *purum et gratuitum* virtutis conceptum ponit: Officia enim in hoc systemate nonnisi media sunt ad aliorum bonum procurandum et ad hominis dignitatem in suo gradu conservandam accommodata, quae etiam cum privatae utilitatis vitaeque ipsius damno servanda sint. Ad hanc classem pertinent tam *rationalistae* qui suam sententiam per ratiocinium a priori demonstrant, quam *sentimentalistae*, qui *sensu morali* eam tuentur.

Theologi quoque naturalis legis existentiam tenent, non sine tamen divino imperio: quorum duplex est sententia, alii enim quos *superstitiosos* nominamus, volutatem Dei jubentis

aut vetantis *arbitrariam*, alii vero, quos *orthodoxos* dicimus, voluntatem imperantis Dei, legi aeternae necessario conformem, principium constitutivum naturalis legis esse statuunt.

Epilogus. Diversae hac de re philosophorum sententiae ad sequentes classes reducuntur omnes.

ARBITRIUM	*humanum* (sensualistae)	NECESSITAS	*theoretica et hypotetica* in naturae systemate considerata.	(*Praescindentes*
	divinum (superstiosi)		*practica et absoluta* considerando naturae systema tamquam edictum immutabile imperantis Dei.	(theologi *orthodoxi*

II. Examen criticum systematum.

Sensualismus privatae utilitatis computationem in turpem egoismum universae moralitati exitialem deducit, quem eudemonismus apprime corrigit demonstrando, veram singulorum hominum utilitatem cum reliquorum felicitate necessario ac naturali nexu copulari : quidquid autem honestum, id esse utile , nec utile quidquam quod non honestum sit. Systema hoc de *amore mercenario virtutis*, si recte et adaequate expendatur, legis naturalis *sanctionem* demonstrat.

Rationalismus purus et sentimentalismus eumdem scopum habent , scilicet considerandi ordinem moralem , nulla habita ratione ad suam cujusque utilitatem. Ceterum sensus moralis, si recta ratione informetur ac dirigatur, maximi usus est in universa vita rationali et morali: sin autem sensus iste pro regula et fundamento moralitatis ponatur, ipsi moralitati perniciosissimus foret: is enim a recta via facillime aberrare ac vitiari, nec unquam sine rationis ductu emendari potest. Itaque si haec duo systemata separentur, utrumque mancum ac vitiosum esset , si vero recte inter se copulentur, unum

tantum systema in suo genere perfectum efformabunt *de amore gratuito virtutis*, quod *legis naturalis existentiam* demonstrat.

Systema superstitiosum pro fundamento juris naturalis Dei arbitrium statuens, ac legem aeternam scholasticorum adinventum esse asserens, tripliciter falsum est: 1. *historice*: satis enim est Ciceronem de legibus l. 2. c. 4. consulere: 2. *theologice*: Deus enim rerum quidem existentiam, non autem essentiam immutare potest: 3. *moraliter*: omnia namque indifferentia natura sua forent, ac Deus injusta et inhonesta jubere, justa et honesta vetare posset, quod absurdum et impium dictu est. Hujusmodi errorem theologi orthodoxi tollunt, dum ponunt pro *principio constitutivo* juris naturalis Dei quidem imperantis voluntatem, attamen naturali ordini, aeternaeque legi necessario conformem. Hoc systema ita emendatum naturalis legis *latorem* demonstrat.

Itaque systema orthodoxum *complexivum* est: de singulis enim systematibus partem veram assumens et suo loco ponens, rectam praeterea Dei imperantis notionem addens, adaequatum totius rei conceptum perficit. Duo enim systemata de amore puro, et de amore mercenario virtutis scite contemperata naturae legem sanctionemque demonstrant. Ratiocinium, inquam, et moralis sensus demonstrant, non autem constituunt, nec sanciunt legem. Sunt veluti Principis edictum, non sunt Princeps et Legislator. Dei autem ratio et voluntas, ordinem naturalem hominis proprium conservari jubentis, perturbari vetantis, est essentiale legis naturalis *principium constitutivum*.

SECTIO SECUNDA

Theses de origine, natura, et principio constitutivo legum moralium.

Thesis I. De naturali hominis statu, idest *de ea permanenti conditione seu modo se habendi, in quo vi facultatum,*

quas a natura accepit, homo ponitur ad certum actionum genus obeundum. Jamvero contra I. I. Roussean, qui hominem natura a quovis societatis vinculo solutnm , seu *insocialem*, facit; et contra T. Hobbesium, qni natnralem statum bellum omnium in omnes esse autumat, dico.

Status naturalis hominum est socialis.

Non hic de peculiari et perfectiori societatis *forma*, scilicet de civili ; sed de societate in genere disserendum est. Criterium autem logicum ad naturalem hominis conditionem recte cognoscendam, neque in effingendis hypothesibus de origine humanae generationis , neque in examine peculiarium quorumdam hominnm, vel etiam populorum, in quibus naturales facultates, vel ob aliquod impedimentum interceptae et snffocatae quodammodo fuerint, vel libertatis abusu depravatae; sed in universali et constanti hnmani generis observatione reponendum est. Tribus autem argumentis thesis demonstratur.

I. Ex *facto philosophico*. Etenim ex omninm populorum historiis constat , semper ubique omnes homines lingua, ratione, artibus, moribus, ac mutuis officiis usos esse, et inter se consociatos. Factum generale et permanens neque ab arbitrio, neque a casu quodam, sed a natura repetendum est.

II. Alterum argumentum hujus facti rationem examinat *in primariis et characteristicis hominis proprietatibus*: unde patet, ideo factum illud esse generale et constans, quia posito, quod homo et intelligendi facultatem, et vitam animalem propriam ac naturalem habeat, necessario sequitur ejus statum nonnisi socialem esse posse. Ad utrumque enim habendum , servandnm , perficiendum cum in singulis hominibus , tum mnlto magis in universo humano genere necessarium omnino est commercium sociale. In hujus argumenti declaratione sophismata I. I. Ronsseau funditns refutantur, qui ex arbitraria linguae institntione arbitrariam societatis idearumque moralium inventionem deducit: atque inde omnia tam physica, quam moralia mala, quae humanam vitam miserrimam

faciunt, promanasse affirmat. In quo haec vitia logica notanda sunt : 1. putida *aequivocatio* inter facultatem et normam loquendi : 2. *suppositi falsitas* de primaeva humani generis belluina conditione: 3. *falsa* et poetica illius suppositae conditionis *felicitas:* 4. denique data et non concessa cum suppositi, tum assumpti veritate, *falsa et antilogica consequentia* foret, pristinam nempe belluinam conditionem esse statum a natura humano generi praeordinatum.

III. Tertium argumentum *ex secundariis hominis proprietatibus* deducitur ac praesertim ex *morali sensu* omnium animis a natura indito, qui ad amicitiam ac beneficentiam advesus alios directe tendit; et ex *manuum conformatione*, quae ad omnes sociales artes aptissimae sunt. Utrumque extra societatem inutile foret : Deus autem et natura nihil frustra facit.

Hoc loci Hobbii systema expendere et refutare convenit; cujus fundamenta haec sunt: 1. omnium populorum historiae criminibus horridisque bellis refertae: 2: affectus irae, invidiae, metus , vindictae , qui tamquam semina discordiarum in omnium animis inveniuntur: 3. jus omnium in omnia ex desiderio suae cujusque felicitatis deductum. In his autem duo vitia potissimum notanda sunt, unum est, quod quae in hominibus particularia sunt et ex abusu libertatis in odium inimicitiae prolapsa , ea generalia facit , et hominis naturae tribuit : a qua tamen , praeter inclinationem ad bona nobis comparanda, nihil aliud accepimus, quam instinctum ad mala praecavenda et propulsanda; qui recte a ratione informatus jura constituit defensionis , compensationis , justaeque vindictae, societati humanae conservandae pernecessaria. Alterum autem vitium in mero sophismate consistit , quo *latior consequentia deducitur*, *quam sit in praemissis*. Ad suam enim cujusque conservationem , non jus omnia indiscriminatim sibi propria habendi, sed satis superque est jus concurrendi sine aliorum supplantatione ad eam bonorum partem, quae ad bene beateque vivendum est necessaria. Hoc universum huma-

num genus conservat: illud omnia funditus perdit: quo naturae rationique nihil magis potest esse contrarium.

Thesis II. Contra sensualistas dico, *justum et injustum, honestum ac turpe, non hominum opinione et placito, sed natura differre.* Id autem tribus argumentis demonstratur inter se intime colligatis, 1. scilicet quia intuitiva evidentia ita esse ego sentio: 2. quod ego sentio, id semper, ubique, omnes itidem sensere: 3: Ideo autem tam ego, quam caeteri ita de morali ordine sentimus; quia oppositum impossibile prorsus est. Itaque sit

1. Ex *sensu intimo.* Sicut per sensus externos naturalem colorum saporum, sonorum ec. differentiam, totumque ordinem physicum sentio; ita per internum sensum nativam justi et honesti bonitatem, atque insitam criminum vitiorumque omnium turpitudinem intuitive discerno. Has autem morales differentias ita per se immutabiles esse, ut neque a Principis arbitrio, sicut ceterae *positivae* leges, pendeant, neque cum sensuum voluptate et dolore confundi ullo modo possint; tum quia virtus quo magis adversa patitur, eo pulchrior evadit; tum etiam quia intima justitiae honestatisque vox absoluta et imperans est; vox autem voluptatis est conditionata, et alliciens.

2. Ex *sensu naturae communi.* Hoc enim vero factum individuale intimi sensus ad universum humanum genus extendi apertissime patet. « Quae enim natio non comitatem, » non benignitatem, non gratum animum et beneficii me» morem diligit? Quae superbos, quae maleficos, quae cru» deles, quae ingratos non aspernatur, non odit? » (Cic.)

3. *Ex ratione.* Cum enim 1. Natura non sit chaos, sed systema summa sapientia et arte conditum: sequitur, duplicem rerum et legum ordinem physicum nempe et moralem necessario existere. 2. Porro impossibile omnino est, ut homo sensus et intelligentiae particeps hunc, quo necessario et perpetuo regitur ac ducitur, moralem ordinem non sentiat.

Contra 1. arg. opponunt sensualistae, aptitudinem illam sentiendi ordinem moralem non esse naturalem, sed per repetitos actus et educationem acquisitam. Contra alterum vero, negant facti illius universalitatem, et identitatem.

Respondeo, utramque objectionem *ignorare elenchum*. Prima enim quaestionem ideologicam de natura et conformatione sensus moralis confundit cum quaestione de facto, quo scilicet, certo constat, hominem rationis et sensus moralis usum adeptum differentias morales naturales intuitive sentire ac discernere: quemadmodum visiva facultate per actus repetitos perfecte conformata, geometricas corporum figuras, varios eorum colores, cetera phaenomena optica ictu oculi intuemur. Altera quoque objectio a quaestionis statu longe aberrat. Non enim omnia et singula naturae praecepta, eorumque applicationes ac dictamina, sine ulla erroris admixtione omnibus hominibus semper perspecta et cognita fuisse affirmamus; verum ordinis moralis existentiam, et primaria legis naturalis praecepta omnes novisse dicimus: quod sane vel ipsi errores, qui a sensualistis nobis opponuntur, apprime confirmant; cum nihil aliud sint, nisi falsae consequentiae male a principiis moralibus deductae.

Denique *argumento ad hominem* thesis indirecte confirmatur. Certum apud omnes modo est, furtum, homicidium, fraudem aliaque hujusmodi crimina esse detestabilia, ac omnino vitanda, justitiam honestatemque studiose servandam. Atqui si non ex naturae lege haec vitanda aut facienda sunt, unde nam praecepta ista vim suam habent? Respondent sensualistae, quia per pacta et leges civiles ita sancitum est. Igitur fateri saltem debent, principia ista *pactorum fidem servandam, jus suum unicuique tribuendum, subditos parere debere Principi juste et legitime imperanti*, haec inquam principia quavis positiva lege aut pactione esse antiquiora: his enim sublatis, vana et nulla fierent et pacta et leges civiles, et quodvis aliud societatis vinculum.

Thesis III. De Deo naturalis legis latore.

I. Directa thesis demonstratio.

Status quaestionis. Tam praescindentes, quam theologi orthodoxi in hoc conveniunt, ut asserant, ordinem naturalem justitiae et honestatis veram et propriam legem esse, quae scilicet non solum sit mensura actuum humanorum, verum etiam vim habeat efficaciter inducendi homines ad honesta et justa peragenda, et a contrariis eos avocandi. Quaeritur autem, utrum vim hanc regulae morales in se ipsae habeant, an ab alio extrinseco principio imperante ac sanciente repetenda ea sit. Tota inquam quaestio est de *principio constitutivo* legis naturalis. Nos contra praescindentes dicimus, Deum naturalis legis latorem esse, non autem ratione quadam *impropria* et *mediata ;* sed *proprie* et *immediate* legislatorem: scilicet ideam Dei ordinem moralem statuentis, imperantis, et sancientis necessariam et essentialem legi naturae esse affirmamus.

Probatur 1. *ex ratiocinio apodictico.* Deum primam rerum omnium causam esse, cujus providentia omnia sapientissime gubernantur, metaphysice certum est: inde autem necessario consequitur, Deum naturalis legis latorem esse. In decreto enim omnia creandi, ordinandi, et gubernandi necessario includitur ratio et voluntas Dei, non solum ponendi et moderandi physicas leges universo naturae systemati conservando accommodatas ; sed multo magis ratio et voluntas statuendi, imperandi, ac sanciendi ordinem moralem, scilicet praecipiendi actus honestos, quae hominis naturae necessario consentanei sunt, et prohibendi actus intrinsece malos ejus naturae contrarios: atque etiam efficaci et aequa sanctione haec decreta muniendi. Qui enim vult finem, vult etiam media ad eumdem necessaria. Secus autem Deus nec sapiens, nec justus, nec providus, nec propterea causa mundi, nec Deus esset.

Probatur 2. *ex facto philosophico.* Omnium populorum *origines* Numini cuidam tamquam Auctori, justitiae ac legum

omnium Praesidi ec. cousecratae; *sacerdotii* auctoritas et munia domi bellique exercita; *jurisjurandi* religio privatis publicisque gravioribus negotiis firmaudis usque interposita ; *duplex alterius vitae status* bonis atque improbis reservatus, aliaque sexcenta in omnium gentium historiis pervulgata aperte demonstraut, omuibus ubique hominibus persuasum semper fuisse , Deum absoluto suae voluntatis imperio ordinis moralis custodiam jubere, perturbationem vetare, cujus custodiae aut violationis ipse infallibilis judex , remuuerator ac vindex sit futurus.

Quam intimo autem et indissolubili vinculo moralia cum theologicis inter se colligentur ab effectibus quoque recognoscere planum est. Nihil enim in historia testatius, quam quod ubi purior et sancta religio studiose colitur, ibi justitia, fides, honestas, virtutes omnes florescunt quotidie magis: morum autem corruptela eo latius dilabitur, quo magis religionis dogmata languescunt, corrumpuntur, et contemptui habeutur. Huc accedit, quod ii omnes , qni naturalis legis existentiam inficiati sunt, omues inquam ad uuum, Dei existeutiam et providentiam antea negarunt.

Quare nihil antiquius et firmius omnibus recte sapieutibus a Socrate philosophiae parente ad hanc usque aetatem persuasum fuit, quam religionem societatis et moralis vitae essentiale fuudamentum esse, quo sublato, fides quoque justitia et honestas unâ tollatur.

II. Indirecta thesis demonstratio

Proposita thesis per *adaequatam* systematum praescindentium refutationem indirecte quidem , sed evideutissime demonstratur; id autem dupliciter 1. quoad conceptum legis: 2. quoad sanctionem.

1. *Sublata Dei notione justa et honesta jubentis , injusta et turpia vetantis, legis naturalis conceptus internam conscientiae obligationem inducentis haberi nullo pacto potest.*

Quatuor tantum hypotheses specifice inter se diversae de principio constitutivo legis naturalis effingi possunt, scilicet vel *rectam rationem* per se vim legis habere, vel *internum quoddam principium* immediate imperans (e. g. *sensum moralem*), vel *naturam*, vel supremi *naturae Auctoris imperium* (1): atqui tres primae falsae omnino sunt: vera igitur postrema. Et re quidem vera 1. *non est recta ratio legislatrix.* Ratio enim nihil aliud est nisi facultas cognoscendi veritatem: totum ejus munus in hoc consistit, ut conscios et persuasos nos faciat sive de theoreticis, sive de practicis veritatibus. Cum igitur legis notionem ratio exhibet, non ea quidem aut jubet, aut vetat, aut sancit; sed quid faciendum fugiendumve sit, et qua de causa, seu ex quo principio imperante et cogente necessitas ista operandi derivetur, ipsa nos edocet; non est, inquam, ratio legislatrix, sed promulgatrix legis. 2. Neque *moralis sensus* potest esse legis naturalis principium constitutivum. Sensus enim iste, si cum Humio intelligatur ea facultas, qua homo, cum aliquod honestum vel turpe facimus aut facit aut videt, animi voluptatem doloremve experitur; tunc neque constituit, neque indicat legem: sensatio enim non est praeceptum aut lex moralis. Sin autem sensus moralis rectius accipiatur pro ea intellectuali facultate, qua quaedam conscientiae dictamina naturali veluti instinctu efformamus; tunc non ipse quidem legem constituit; sed tantummodo officia naturalia demonstrat, et applicat: ad quodlibet enim conscientiae dictamen efformandum legis jam praeexistentis notio necessaria prorsus est 3. Tandem *natura*, sive in *concreto* sive in *abstracto* consideretur, nequit esse legislatrix: non primum: quia hominis natura, praecise spectata, ut talis essentia est, non est nisi materia, fundamentum et mensura rectitudinis actus lege praescripti, vel turpitudinis

(1) Quia alias ab his specie distinctas hypotheses dari posse opinetur, is quaestionem de principio constitutivo legis naturalis confunderet cum quaestione *de origine idearum moralium*. Videsis institutiones nostras.

actus lege prohibiti. Neque natura in abstracto, scilicet rerum ordo et systema vim obligandi habet: id enim aut est poetica *personificatio* entis logici, cui Dei attributa et operationes metaphorice tribuuntur (quod a nostra sententia nonnisi impropria loquendi ratioue differt); aut ordinis naturalis conceptus *theoreticam* tantum et *hypotheticam* necessitatem exhibet, a conceptu legis et obligationis proprie dictae alienissimam. Subtiliter sane, at non vere, ita disserunt praescindentes. Sunt quidam actus humani intrinsece et immutabiliter boni, alii intrinsece et immutabiliter mali, idest necessario convenientes aut repugnantes hominis proprietatibus, relationibus, atque ultimo ejus fini: Atqui haec natura actuum humanorum per se vim legis habet, scilicet vim obligandi hominis voluntatem, ut convenienter naturae suae vivat. Verum respondeo 1. dato et non concesso, sine Dei imperantis et sancientis idea dari et concipi posse necessariam illam actuum humanorum convenientiam aut repugnantiam cum hominis natura; tamen haec esset lex omnino diversa a conceptu legis, quem omnes habent. Pro lege enim non merum *indicativum* rectitudinis, sed *imperativum absolutum* omnes intelligunt, continens nempe jussionem, prohibitionem, sanctionem, quae omnia actum judicii et voluntatis supremi Imperantis necessario continent. 2. Dico, in hypothesi praescindentium ne illam quidem theoreticam et absolutam necessitatem haberi et concipi unquam posse. Concedo equidem officia justitiae atque honestatis cum ad privatum aliorum hominum, tum ad publicum societatis bonum esse pernecessaria; at si idea Dei officia haec singulis hominibus praecipientis et in altera vita remunerantis ac punientis tollatur, nullo modo stare et concipi potest necessaria convenientia illorum officiorum cum natura individuali et ultimo fine hominis, qui ea cum temporalium etiam bonorum vitaeque ipsius discrimine et jactura praestare debet. Itaque cum omnes praescindentium hypotheses de principio constitutivo fal-

sae omnino sint, recte et vere concludi debet, sublata Dei notione ec. Q. E. D.

Corollarium. Quae cum ita sint, apparet, impossibile omnino esse *peccatum mere philosophicum*, quod scilicet reum faciat hominem in naturae et rationis tribunali, dum coram Deo innocens habeatur.

2. *Sublata Dei remuneratoris et vindicis notione, tollitur necessaria legis naturalis sanctio.*

Si praemia et poenae pro uniuscujusque meritis a Deo O. M. in futura vita tribuendae tollantur, bona et mala hujusce vitae, quae sint motiva et merces actuum bonorum et malorum, duplicis tantum generis esse possunt, vel bona et mala temporalia, quae tamquam effectus a virtutibus et vitiis producantur, uti *eudemonistae* censent, vel bonum et malum, quod in ipsa virtute aut vitio continetur, uti censent systematis *philantropiae* fautores. Atqui utrumque sanctionis genus inane prorsus est ad homines in officio continendos: ergo ec.

Eudemonistae ita ratiocinantur. Virtutes suis cultoribus producunt maxima de hujus vitae bonis, et minima de malis: viceversa vitia: ergo sine Dei remuneratoris et vindicis idea, habetur legis naturalis sanctio.

Respondeo: *transeat antecedens, et nego consequentiam.* Falsum enim vero est antecedens; sed etiamsi verum foret, tamen non haberetur necessaria legis naturalis sanctio. Falsum inquam est cum *historice*; quia non semper et adaequate pro cujusque meritis, imo plerumque temere et inique bona et mala distributa videmus; tum *philosophice* falsum; quia aspera et ardua virtutis semita est, et quo magis adversa patitur, mortemque ipsam subit, eo pulchrior et perfectior virtus censetur. At si vera quodammodo esset eudemonistarum assertio; attamen deessent motiva sufficientia ad virtutes studiose sectandas: 1.° quia effectus illi essent semper *incerti*, *remoti*, neque ab omnibus *cogniti*: 2.° quia *utilitatis et voluptatis* idea in humanis rebus non absoluta, sed *relativa* est

statui hypothetico hominum in infinitum variabili : 3.° tandem ad hanc bonorum et malorum negotiationem in commercio sociali utiliter peragendam satis esset simulata virtutis species et astutia.

Eadem dicenda sunt quoad sanctionem positivam politicae Potestatis in supposititia atheorum republica. Quibus praeterea duo addenda sunt. 1.° Principum curam ad graviora crimina communi reipublicae bono directe opposita compescenda potissimum circumscribi : 2.° Praecipua autem media, quae habet, sunt poenae, *remedium empiricum*, quod neque omnibus aeque medetur animorum morbis, nec per se facit homines justos et honestos.

At enim alterius systematis fautores ita insistunt. Vir probus etiam in adversis maximo gaudio et pace perfunditur : improbus vero conscientiae cruciatu angitur, atque in omnium rerum abundantia miserrimam agit vitam : ergo in ipsa virtute et vitio aequa cuique merces rependitur.

Respondeo; distinguo antecedens. Supposita Dei remuneratoris, et vindicis notione, concedo : secus nego. Certum quidem exploratumque est, quod ipsi ajunt : at id contingit hominibus, qui semper ubique omnes moralia cum divinae providentiae idea conjunxerunt. Demonstrari idem nullo pacto potest quoad hominem judicis infallibilis, et liberalissimi virtutum remuneratoris spe et solatio penitus destitutum, atque omni prorsus severissimi vitiorum vindicis timore solutum. Quod si probare possent adversarii, hominem in tota sua vita de atheismo penitus persuasum naturali tamen instinctu ad virtutem quamvis oppressam vehementer allici, et a vitio quamvis bonis omnibus affluente abhorrere : attamen motus isti sensus moralis nullius momenti essent: tum quia sensus hujusmodi in systemate atheismi contra rationem essent et contemnendi; sicut chirurgi repugnantia, in ferro et igne infirmi lugentis membris admovendo, cum ad eum a morte eripiendum id necessarium sit: tum etiam quia hujusmodi virtutis heroismus omni prorsus mercedis spe destitutus in qui-

busdam fanatico furore perculsis vim fortasse aliquam haberet, nullam certe in ceteris hominibus, adversante et repugnante natura.

SECTIO TERTIA

De varia legum officiorum et jurium partitione ac natura.

I. *Lex generatim* a D. Thoma definitur *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui communitatis curam habet promulgata.* In qua definitione omnes legis conditiones vel explicite vel implicite continentur, scilicet 1. *Supremae Potestatis praeceptio.* Lex enim proprie in *perfecta* tantum societate locum habet, in ea inquam societate, quae sibi sufficiens est in suo ordine, idest propria et independenti jurisdictionis potestate regitur. 2. Praeceptio autem *recta et justa*, scilicet, universae societatis fini, qui est bonum commune, apprime conformis. In qua boni communis ratione duae aliae legis conditiones implicite continentur, *universalitas*, ut a particularibus praeceptis lex distinguatur, et *perpetuitas* seu quaedam legis stabilitas, unde fit, ut vi suae originis, constitutionis ac finis semper duret, aut per indefinitum ac diuturnum tempus, donec aut revocetur, aut materia ejus et causa ita mutetur, ut desinat esse justa. 3. *Promulgatio* idest sufficiens voluntatis supremi imperantis manifestatio. Quare distinctius definitur *lex justa supremae Potestatis praeceptio communis et stabilis sufficienter promulgata.* Proprius autem legis effectus est obligatio, scilicet *necessitas moralis obediendi Principi juste et legitime imperanti;* per quam, remanente libero voluntatis arbitrio, aufertur, aut circumscribitur *jus*, quo nomine intelligitur, *potestas rationi conformis aliquid faciendi vel possidendi, vel eo ex sententia utendi fruendique.*

Porro legi accedit *Sanctio* idest *aequa et proportionata praemiorum et poenarum taxatio legis cultoribus aut violatoribus a supremo Imperante facta et indicta.* Quae quidem ad le-

gis efficacitatem et ad distributivam justitiam servandam maxime necessarium medium et complementum censendum est.

II. Ex iis omnibus, quae superius demonstrata sunt, recta *legis naturalis definitio* deducitur, nempe *Lex naturalis est ordinatio divina toti humano generi per lumen rectae rationis intimata, praecipiens ea quae hominis naturae necessario consentanea sunt et prohibens contraria*. Haec enim 1. nonnisi orthodoxo systemati convenit. Non est enim hominum adinventio et praeceptio, ut sensualistae; non rationis, aut interni cujusdam principii, aut naturae ordinatio, ut praescindentes; non denique arbitraria Dei jussio, ut quidem superstitiosi docuerunt; sed Dei ordinatio praecipientis quae hominis naturae necessario consentanea sunt. 2. Omnes praeterea proprietates, quae de ratione legis esse censentur in ea continentur *aequa* nempe, *universalis perpetua* et *promulgata supremi ac legitimi imperantis praeceptio.* Constat enim (th. 2. et 3.) justitiae honestatisque ordinem humani generis conservationi et prosperitati esse pernecessarium: atque ejusdem custodiam a Deo systematis naturalis auctore et moderatore necessario juberi, perturbationemque vetari; haec autem omnibus sufficienter innotescere. 3. Denique cum legis hujus praecepta sint de iis actibus, qui necessario conveniunt aut repugnant hominis naturae, quaeque per lumen rectae rationis promulgantur, aperte patet *differentia specifica*, quae a ceteris *positivis* legibus eam distinguit.

Porro naturali legi *sanctio* quoque adest, et ipsa per rectam rationem promulgata: ac primum sanctio adaequata et perfecta in altera vita. Nam ex thesi 3 apparet, sublata Dei legislatoris, renumeratoris et vindicis notione, cum legis, et officiorum conceptum, tum etiam media ad legis efficacitatem, et ad aequam pro meritis mercedem necessaria tolli. Quod cum Dei providentiae ac justitiae prorsus repugnet, concludendum est, adaequatam in altera vita sanctionem Deo O. M. singulis impertiendam, sine summa impietate et absurditate negari non posse.

Cum autem sit hoc rationis practicae veluti axioma, *virtutibus ac vitiis aequam rependi mercedem oportere* : cumque omnium experientia certum sit atque exploratum, eam in hac vita neque esse, neque dari omnino posse : hinc factum est, ut qui moralitatis notionem habuerunt , ii de futura justorum beatitate, ac de miserrimo iniquorum statu omnes fuerint persuasi.

Jam vero haec persuasio omnium animis penitus insculpta jucundam in praesenti quoque vita tranquillitatem , vel asperos conscientiae cruciatus efficit. *Pax multa diligentibus legem Dei*: *non est pax impiis* certa divini consilii sanctio est. Quae quidem viri boni securitas et pax prudentiorem ad rem gerendum facit , quo sibi ac suis facilius consulere possit ; ejusque animo bene a virtute informato adversa quaeque leviora fiunt, omniaque ei convertuntur in bonum. Quod contra fit in improbis.

III. *De lege positiva.* Inter humanos actus multi sunt *omnino necessarii*, ut homo convenienter naturae suae vivat; ideoque *de praecepto* legis naturalis sunt : alii autem multo plures *opportuniores* et ad majorem virtutum perfectionem *aptiores*, isti de *mero consilio* censentur. Jamvero actus isti, qui hominis arbitrio relinquuntur, sicut per quaedam singulorum hominum facta, idest per contractus, per vota ec. possunt sub obligatione determinari, ita etiam per Summarum Potestatum praecepta, statuta, leges. Itaque *lex positiva*, ita nuncupata quasi naturae legi *apposita* , eos actus tamquam materiam *propriam* et *specificam* habet, qui naturae lege neque jubentur, neque vetantur. Quare recte definitur *lex positiva ordinatio communis justa et stabilis supremae Potestatis arbitrio ac prudentia praecepta, atque externis signis sufficienter promulgata.* Quae quidem pro diversa Potestate , a qua *proxime* et *immediate* fertur, triplicis generis esse potest, videlicet *divina*, *ecclesiastica seu canonica*, et *civilis*. Quoad modum vero, quo lex positiva lata sit , distingui solet in *jus scriptum* et *non scriptum*. Ad hoc vero *jus non scriptum* non

solum leges immediate et directe a Principe latae, et per *oralem traditionem* promulgatae pertinent; verum etiam illae quae per *consuetudinem* inducuntur. Si enim consuetudo recta et honesta sit, et ab universa perfecta societate, vel saltem a majori ejus parte voluntarie et per longum tempus inducta sit, accedente tacito ac praesumpto vel etiam aliquando expresso Principis consensu vim obligandi consuetudini dantis, eadem *jus novum* seu legem novam producit.

Quoad effectum vero legum positivarum quaeritur, an civiles leges (de divinis enim et ecclesiasticis nulla dubitatio est) non solum in foro externo, verum etiam in interno obligare possint ac revera obligent. In primis non abs re erit monere, affirmativam sententiam divinae revelationis oraculo certam esse, quo docemur *Principes Dei ministros esse, per eum Reges regnare,* ideoque obediendum eis esse *non solum propter iram* (idest poenarum metu), *sed etiam propter conscientiam.* Quapropter *qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, sibi ipsis damnationem acquirunt.* Id autem ratione apprime confirmatur. Princeps enim civitatis naturae lege, scilicet ex Dei supremi legislatoris voluntate, jus habet ea omnia statuendi et efficiendi, quae ad bonum commune necessaria vel opportuna ducit. Huic vero supremae regendi et gubernandi potestati tria jura essentialia sunt, jus nempe legislativum, judiciarium, et coactivum. Jus autem coactivum, idest vi et poenis cogendi subditos ad jussa facienda, est veluti subsidiarium principalis juris jubendi ac vetandi. Posito igitur hoc jure imperandi, necessario consequitur, ipsam naturae legem subditis obligationem imponere parendi Principi juste et legitime imperanti, quae scilicet est obligatio in conscientia.

Ceterum « non omnia quae continentur in lege tradun- » tur per modum praecepti, sed quaedam proponuntur per » modum ordinationis, vel statuti obligantis ad certam poe- » nam »: ut ait D. Thomas (2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.), et cum eo saniores doctores una consentiunt, dari *leges mere poe-*

nales. At qua ratione, inquies, dignosci eae possunt? Praeter declarationem ab ipso Principe factam, aut legitimae consuetudinis interpretationem, haec regula generalis perspecte traditur a Suaresio « Quoties per verba legis poenalis non de-
» claratur sufficienter praeceptum obligans ad actum vel o-
» missionem ejus, praesumendum est, esse legem pure poe-
» nalem .... Nam si lex non satis explicat duplicem obliga-
» tionem, seu praeceptum, benignior pars est eligenda, cum
» res sit dubia ..... Censebitur autem lex non satis explicare
» priorem obligationem conscientiae, quando nec lata fuerit
» per verbum expresse praeceptivum, quod in actum prohi-
» bitum vel imperatum cadat; nec ex circumstantiis aut ma-
» teria, vel poena legis colligatur virtuale praeceptum, seu
» intentio sufficiens praecipientis. »

IV. Tam legis naturalis, quam ceterarum legum et officiorum vis a *lege aeterna* derivatur. Et re quidem vera *lex aeterna est ratio gubernativa totius universi in mente divina existens* (D. Th.). Ea duo complectitur 1. aeternam Dei sapientiam, qua rerum omnium essentias et necessarias relationes novit; 2. aeternum divinae voluntatis decretum omnia creandi, ordinandi, et in suo ordine conservandi. Igitur tam physicus quam moralis ordo in ratione gubernativa Dei continetur. Ordo autem moralis ab aeterno decretus, quando per lumen rationis hominibus innotuit, tunc legis propriae naturam vimque acquisivit. Jam vero omnia hominis officia vel immediate vel mediate a lege naturali praecipiuntur et vim suam habent. Nam ea etiam officia, quae a positivis legibus et a particularibus praeceptis imponuntur, vel quae a contractibus, votis, ec. emergunt, a naturae lege mediate vel conditionate praecipiuntur. « Voluntas enim legislatoris (ait
» Cudwortus) cum leges rogat positivas ec., non novam ali-
» quam rem moralem producit; sed generale tantum omnium
» hominum officium, quod ipsa praescribit naturae lex, il-
» lis qui juste imperant obediendi, et foedera et pacta le-
» gitima servandi, varia ratione temperat et determinat; pa-

» riter propria voluntas nostra, cum pollicetur aliquid, le-
» gem illam naturae, quae datam violare fidem vetat, di-
» versa ratione moderatur et applicat ».

Corollarium. Omnia legis naturalis praecepta per se sunt immutabilia. « Neque enim ulla vis, ullus casus, ulla re-
» rum labes effecerit, ut justum non sit esse omnia ordina-
» tissima. » (S. Augustinus). Contingere autem aliquando potest *impropria* mutatio : actus nempe humani ob circumstantiarum mutationem et *physicam* collisionem subtrahuntur a lege; seu materia et applicatio legis immutatur. Quae autem contra legis naturalis immutabilitatem a nonnullis objiciuntur de homicidio, suicidio, furto, aliisque a Deo aliquando permissis, aut praeceptis, non sunt nisi actus supremi dominii, quod Deus per homines exercet, in jura hominum secundaria et ad tempus eis concessa, scilicet in vitam et reliqua temporalia bona.

V. Hinc patet naturalia praecepta diversae esse naturae, gradus, et ordinis. 1.° Alia enim sunt generalia et *absoluta*, ea nempe quae ingenitis et immutabilibus sive Dei sive hominum juribus respondent: ideoque sine ulla exceptione praecipiunt, omnesque obligant. Alia vero sunt particularia et *hypothetica*, quae scilicet juribus aliquo facto acquisitis et determinatis relativa sunt.

2. Alia sunt *primaria*, alia *secundaria*, et eis *subordinata*; quia jura, quibus respondent, ad diversum gradum et ordinem pertinent: sunt enim jura Dei, jura universae societatis, jura uniuscujusque hominis, atque inter hominis jura distinguuntur ea, quae sunt ingenita et essentialia ab acquisitis et accidentalibus. Hinc fit ut praecepta inferioris ordinis actus humanos *respective et conditionate* jubeant aut vetent, dummodo nempe non opponantur, imo conformes sint juribus superioris ordinis et gradus.

3. Alia denique sunt *affirmativa*, quae bonos actus praecipiunt, alia *negativa* quae prohibent malos: illa determinata et circumscripta ad quosdam actus, quodam tempore, loco,

et modo peragendos. Ex quo illud in scholis effatum : *praecepta affirmativa obligant semper, sed non pro semper.* Cum autem negatio omnia excludat, hinc praecepta negativa nullos patiuntur limites et *obligant semper et pro semper.*

VI. Quibus positis, determinantur criteria de officiorum cessatione vel suspensione. *Hypothetica* praecepta, quae ab aliquo legitimo facto oriuntur, ob aliud item legitimum et contrarium factum dissolvuntur. *Nihil enim tam naturale, quam ut eo modo nexa solvantur, quo sunt colligata.* Porro et omnia hypothetica et permulta absoluta officia ob circumstantiarum immutationem, et *physicam* collisionem vel suspendi vel cessare omnino possunt. Cum enim ob rerum immutationem actio quaedam inutilis fiat, vel etiam fini a lege intento directe opponatur, absurdum dictu est, legem adhuc obligare; lex enim se ipsam destrueret. Quare statuendnm est, quod *cessante legis fine, lex ipsa cessat; sin ipsi ejus fini directe adversetur, lex in oppositam commutatur.* Absurdum itidem est, hominem ad impossibilia obligari : igitur in collisione *physica* duorum praeceptorum (qnando nempe homo in iis circumstantiis versatur, ut sive actum quemdam faciat sive omittat, aliud praeceptum materialiter impleret, aliud eodem tempore et actu violaret), hoc inquam in casu, cum utrumque servari nequeat, necesse est, quod vel utrumque vim obligandi amittat, vel altero in sua vi permanente, alterum aut cesset omnino, aut in aliud tempus differatur. Itaque tres canones statuendi sunt.

1.° *Si alterum praeceptum moram nullam patiatur, alterum differri in aliud tempus possit, istud, durante conflictu, suspenditur, et cedit alteri, licet minoris imo infimi gradus illud sit.* Qui hoc enim differt non eximitur a lege : at alterum praeterire est legem infringere : quare in eo casu lex utrumque tueri potest, unum in ipso necessitatis articulo, aliud, necessitate et collisione transacta : hinc ex gr. leges *vetantes* in conflictu praevalere debent *praecipientibus* in quovis ordine et relatione.

2.° *Si aequalia ejusdem ordinis et indolis pracepta ac jura in conflictu sint, invicem tolluntur : tunc datur libertas, quae in quamlibet partem licite converti possit.* Nulla enim ratio est, qna alterum alteri praevalere debeat.

3.° *Si inaequalia jura et praecepta inter se conflictentur, quorum nullum in aliud tempus differri possit, minus cedit majori.* Cujus generis est propriae vitae cura relate ad officia negativa adversus Deum, praecepta legum positivarum relate ad legis naturalis praecepta.

APPENDIX

DISQUISITIO CRITICA

De primo moralia cognoscendi principio.

Ethicae tractatores studiose inquirunt primnm hoc cognoscendi principium, scilicet principium logicum, seu propositionem generalem, quae omnia et sola naturalia hominis officia comprehendat, et ex quo facile deducantur. Itaque duae quaestiones inter se diversae sedulo distinguendae sunt. Prima inquirit, qui nam sit conceptus generalis de actuum humanorum bonitate aut pravitate, quae est *ontologica* quaestio. In altera autem quaeritur, utrum hoc ethico conceptu determinato, sit nec ne iste *principium cognoscendi* moralia officia: *ex quo ad quid obligati simus illico appareat* (Heinec.): quae est disquisitio *logica* de methodo philosophandi in moralibus disciplinis.

Quoad I. animadverto, hac in quaestione *supponi* legis natnralis existentiam perspectam et cognitam, scilicet existere ordinem moralem hominis proprium ei custodiendum; hunc autem justitiae et honestatis ordinem, hoc inquam bonum morale homini faciendum, connexum necessario esse cum ultimo ejus fine. *His omnibus suppositis*, quaeritur, quae sit generalis *nota*, seu *character*, seu *tessera* actuum humanorum, ut recti, et natura sua boni, atque ad ultimum ejus finem

ordinati dici merito possint ? Jamvero ut recta et adaequata sit haec actuum humanorum *qualificatio* et *specificatio*, necesse est, ut rejectis falsis systematibus de origine natura ac principio constitutivo legis et officiorum naturalium hominis, uni tantum vero systemati apprime cohaereat. Ea igitur propositio, quae veritates omnes primarias in systemate complexivo demonstratas generatim exprimat, erit rectus et adaequatus conceptus ethicus, de quo disputatur, scilicet *quicunque actus humanus naturae hominis, animalis nempe rationalis et socialis sub Dei legislatoris et in altera vita renumeratoris et vindicis imperio constituti, apprime conformis rectus, atque honestus: quilibet autem eidem contrarius injustus et turpis censendus est.* Quod cum evangelica illa sententia congruit, in qua omnia hominis officia in compendio sub generali conceptu exprimuntur, scilicet actus humanos ordinatos esse oportere tum adversus Deum, eidem tamquam primo omnium principio atque ultimo fini reverentiam et amorem exhibendo, tum adversus alios homines aeque ac nos eos diligendo. *Diliges Dominum* ec.

Quoad II. vero dico, quod sicut generalis conceptus *de pulchro* non est principium cognoscendi et excolendi bonas artes, neque conceptus *de vero* est principium cognoscendi et demonstrandi veritates particulares in singulis philosophicis disciplinis : ita profecto conceptus generalis *de officio* vel *de bono morali* non est principium logicum, ex quo varia officiorum capita derivari, et casus occurrentes resolvi possint. Cujus rei ratio manifeste patet. Duae enim sunt, ut omnes norunt, methodi cognoscendae veritatis, alia *synthetica* et *a priori* pro scientiis mere abstractis, alia *analytica et a posteriori* pro scientiis naturalibus, quae res existentes considerant. Prima a summis generalibus conceptibus ad minores paulatim descendit; altera opposita procedit via: *per scalam veram, et per gradus continuos, et non intermissos, aut hiulcos, a particularibus ascendit ad axiomata minora; et inde ad media, alia aliis superiora, postremo demum ad generalissima.* (Baco N. O. l. 1. aph. 104). Ille igitur ethicus conceptus sum-

mae generalitatis supponit seriem veritatum, quae paulatim determinatae sint : atque ultimus scientiae gradus, et perfectio censeri debet, quae omnium humanorum officiorum tesseram exhibet, ac scientiae moralis limites determinat.

PARS SECUNDA

DE ACTIBUS HUMANIS.

I.

De actibus humanis physice consideratis.

1. De natura *desiderii* et *passionis*.

Hominis voluntas non excitatur nisi desiderium aliquod in animo habeatur, ut autem desiderium quodvis efformetur, necesse est plurium perceptionum et idearum associationes ac relationes perspectas habere : in quovis enim desiderio statum ab eo, in quo sumus, diversum ac meliorem exoptamus, et appetimus. Definiri ergo potest *desiderium grata perceptio et appetitio status vel boni cujusdam absentis una cum ingrata perceptione et aversatione praesentis status seu mali oppositi ac relativi.* Itaque *amor* seu appetitio boni, et *odium* seu mali aversatio, nec non *spes*, et *timor*, scilicet grata vel ingrata animi affectio, orta ex boni aut mali probabiliter obtinendi opinatione, in quolibet hominis desiderio necessario continentur. Harum autem affectionum gradus et intensitas *relativa* est ad personae cujusque sensibilitatem et opinationem de boni aut mali adventantis magnitudine et probabilitate. Unde patet cujuscumque desiderii ac volitionis, quae illico a desiderio movetur, scopum seu objectum semper esse bonum aliquod : ex quo illud morale axioma *hominem necessario desiderare bonum in genere*, quo intelligitur, hominem, non quidem ens aliquod abstractum ac logicum appetere, sed quodcumque objectum in concreto appetat, semper sub aliqua boni ratione illud appetere.

Ceterum omnium experientia certum est, quaelibet hujus vitae bona, etiamsi juxta votum nobis cumulatissime donentur, tamen animum nostrum non explere; sed usque avemus et quaerimus objectum undequaque bonum, quod felices nos faciat, idest producat in nobis *statum acquiescientiae ac perfectae fruitionis*. Cujus facti ratio apertissime patet. Hominis enim mens a consideratione bonorum contingentium, mutabilium, finitorum natura sua ad oppositum terminum necessario fertur, et ideam concipit boni immutabilis, aeterni, absoluti: concipit, inquam, et appetit bonum, seu statum, qui ob *puritatem* seu exemptionem a malis, ob *durationem* et *certitudinem* nunquam eum amittendi, et ob *intensitatem* talis sit, qui animo nostro plenissime satisfaciat. Uno verbo homo sibi efformat et appetit ideam *summi boni* ac *perfectae felicitatis*, quae a veteribus dicebatur *secretis malis omnibus*, *cumulata bonorum complexio*, et a D. Thoma *status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Porro haec summi boni idea evadit comparationis terminus et mensura, qua reliquorum bonorum gradum expendimus.

At enim status perfectae felicitatis, qui in hoc terrarum orbe nusquam invenitur, realis ne fiet in altera vita? Ethnicorum philosophia etsi alterius vitae existentiam noverit, tamen de summo bono et de perfecta hominis beatitate nihil certi et explorati habuit, sed hypotheses vagas et absurdas condidit. Pauci admodum praestantiori ingenio viri, ut Plato, aliquid de futura justorum beatitate quasi divinarunt. Verum, ut sapientissime monet Baco, de hoc primario et essentiali totius moralitatis fundamento, de ultimo nempe hominis fine, certiores nos facere nonnisi divinae revelationis munus fuit.

Cognita desiderii natura, *passionis* etiam natura facile cognoscitur: ea enim est desiderium vehemens animo firmius inhaerens, vel potius habitus ad desideria vehementius et facilius elicienda: quare bene definitur *passio ea animi dispositio seu habitudo per repetitionem similium desideriorum acqui-*

sita, qua prompte, frequenter et alacriter eadem desideria et spontaneos voluntatis motus efformat, atque elicit. Quapropter rejicienda est stoicorum sententia, qui affectus omnes et passiones, veluti rationi et naturae contrarias evellendas animo et extirpandas penitus esse ajebant. Cum enim affectiones hnjusmodi nihil aliud sint nisi desideria sive actualia sive habitualia; in quolibet autem desiderio includatur boni alicujus appetitio, et mali eidem contrarii aversatio, uno verbo appetitio propriae felicitatis: cumque desiderium propriae felicitatis essentiale sit creaturae rationali, concludendum est, eas nec rationi, naturaeque contrarias dici, neque evelli ullo pacto posse. Sedula autem vigilantia et rectio adhibenda; sicut enim animi affectiones ac permotiones sine accnrato regimine sunt teterrima malorum omnium causa; ita e contra nulla ars, nulla scientia, nullum bonum inter homines esset, sublatis hnmanae activitatis fontibus, qui snnt animi nostri desideria, et amor.

2. De *activitate spontanea et libera*

Duplicem activitatem metaphysici in homine perspecte distingnunt, aliam indeliberatam ac mere spontaneam, aliam deliberatam; haec homini, illa naturae tribuenda, qnae quidem indeliberata activitas tam in homine quam in belluis tendit ad objecta grata et utilia sibi comparanda, et ad propulsanda, quae dolores molestiamque producunt: in primis antem vitae necessitatibus mirandum in modum incolumitati prodest: quare *instinctus physicus* recte appellatur ac definiri potest *illa animae activitas, quae vel ab aliqua sensatione, vel a desiderio quodam excitata motus mechanicos producit, qui sapientissimo Dei consilio ad vitae animalis conservationem apprime conducunt.* De cujns agendi ratione atque utilitate plura videre est penes physiologos. Cum autem homo ad aliam quoque nobiliorem vitae conditionem, ad intellectualem nempe et moralem factus sit, hinc providentissimus naturae auctor alium mnlto praestantiorem instinctum ei dedit, qni etiam sensus internus, vel intellectualis, vel moralis dici con-

suevit, idest *ea animi humani facultas, qua, oblato aliquo conceptu logico ad prima sive theoretica sive practica principia spectante, sine ullo rationis examine illico veritatem honestatemque intuemur, eaque valde delectamur, et ad eam amplectendam vehementer movemur: aut contra de falsitate et turpitudine.* Maximae hujus sensus seu instinctus utilitates ad tria capita reduci possunt. 1. Per hunc enim vero prima artium, scientiarumque, nec non moralitatis et religionis principia omnibus aeque nota fiunt, firmiterque in animis imprimuntur, hominesque a mentis aberrationibus retrahuntur. Est inquam lex conservationis et reparationis in mundo intellectuali ac morali. 2. In casibus autem collisionis, et in quibus subito agendum sit, instinctus iste moralis, unica consilii capiendi regula est a natura data, quam si sequemur ducem numquam aberrabimus. 3. Demum sensus iste internus recte a ratione informatus, et diu diligenterque excultus, evadit, ut dici solet, *oculus, tactus moralis, bonus sensus, bonus gustus,* quo praecipue in bonis artibus, in officiis rebusque difficillimis gerendis passim, ac recte homines ducuntur.

Quoad liberam vero activitatem haec tantum censeo adnotanda. Cum plures eodem tempore ideae et desideria obversantur animo, voluntas hominis primo suspensa haeret, sed illico sentit homo se non esse determinatum ad unum, sed ad plura indifferentem atque arbitrum electionis; ipsamque ejus mentem actionis fontem esse et originem. Praecellens ista potentia a quavis tum physica, tum morali necessitate libera plenum suorum actuum internorum dominium homini tribuit, quo possit vel diu in *suspensione* remanere, vel quoad velit *deliberare,* idest motivorum valorem expendere eorumque vim per suam attentionem aut augere aut imminuere, vel demum aut illico sine ulla deliberatione, vel post deliberationem *eligere,* scilicet motivis aut assentire aut dissentire, et objectum aliquod velle aut nolle, aut etiam oppositum velle. En libertas indifferentiae ejusque usus *directus,* et *immediatus,* qui merito aut demerito homini tri-

buitur. Verum in iis quoque quae naturaliter et sponte fiunt in homine, dari potest *indirectus et mediatus* libertatis usus. Etenim 1. Perceptiones, actus, motusque spontanei, qui tamquam effectus actionis vel omissionis liberae praevidentur, licet actu necessarii sint, tamen *mediate* seu *in causa* liberi sunt. 2. Qui vero absque ulla praecedenti animadversione eveniunt, aut si praevideantur, tamen impediri nullo modo possunt, ii aut materialibus mediis aut attentionem alio dirigendo, et firmiter defigendo possunt saepe vel imminui vel penitus extingui: qui si nostra negligentia et voluntate perseverent, *indirecte liberi* censentur, et juxta omissionis gradum plus minusve imputabiles.

II.

De actibus humanis moraliter consideratis.

Quilibet actus liber cum cognitione legis factus moralem qualitatem adipiscitur. Ad hoc autem necessarium est *conscientiae dictamen*, scilicet *actus intellectus quo judicamus aliquid hic et nunc agendum, vel omittendum esse aut fuisse tamquam bonum aut malum morale.* In hoc judicio efformando requiritur facti peculiaris cum lege comparatio: quare potest esse verum aut falsum, certum aut dubium sub diversis probabilitatis gradibus. Si hujusmodi judicinm respicit actionem faciendam dicitur *dictamen antecedens*, si actionem factam, *dictamen consequens* et *imputatio* dicitur.

De antecedenti conscientiae dictamine.

Quoad antecedens hoc dictamen, quod est regula *proxima* actuum humanorum ad imputabilitatem prorsus necessaria, duae precipue quaestiones examinandae nobis sunt.

1. *De falso conscientiae dictamine.* Male ajunt Janseniani *nunquam conscientiam falsam excusare a peccato, quotiescunque legi eternae adversatur.* Etenim qui contra legem aliquam agens *invincibiliter* putat, se rem honestam agere, is neque *in causa* peccat, quia error non est voluntarius; neque peccat

in actu, quia ejus intentio recta est. Atqui in naturae praeceptis praesertim secundariis dari potest dictamen invincibiliter falsum (non quidem ob impotentiam *abstractam* et *absolutam*, quae nostra non interest; sed *concretam* et *relativam*). Cum enim dictamen sit judicium ex ratiocinio, saepe implexo et perdifficili deductum; hinc omnes causae, quae in ceteris scientiis homines in errores minime voluntarios inducunt, multo etiam magis valent quoad moralia, in examine scilicet cum juris tum facti doctis et indoctis faciendo. Hinc gravissimos errores contra legis naturae praecepta in magnis populis diu viguisse; nec non philosophos ac theologos sapientiae et probitatis laude probatissimos contrarias inter se sententias persaepe propugnasse. Verum ajunt adversarii, errores in homine a libertatis abusu nasci; ideoque semper ei esse imputandos. Quibus respondendum est. 1. Errorem in dictamine saepe evenire ob solam sive juris sive facti *ignorantiam*, quae aliquando vitari nullo modo potest. 2. Aliud autem est dicere, homines in errores proprie dictos incidere, quia in veritatibus investigandis non ut machina necessariis legibus ducitur, sed libere procedit: aliud vero, quod homo semper judicio ac voluntate in errorem labatur. Quoties enim vero aut media prompta et expedita, aut ingenii vires, aut advertentia actu ei desint, toties error *relative* invincibilis, minimeque voluntarius censendus.

2. *De dubio conscientiae dictamine.* Posita distinctione inter dubium *speculativum* de legis existentia, et dubium *practicum* de virtute et efficacia legis dubiae, utrum nempe lex dubia obliget nec ne, in primis statuendum est, ad recte honesteque agendum necessarium omnino esse criterium ac dictamen practice certum. Qui enim cum dubio practico sive de *actus valore* ad certum finem lege praeceptum, sive de *licitudine* suae actionis agit, eum aequitatem honestatemque contemnere evidens est. Itaque in hoc quaestionis status consistit, utrum nempe, posito dubio speculativo de legis cujusdam, aut praecepti existentia, statui possit criterium et di-

ctamen reflexnm, quo *certi* ac *securi* simus legem dubiam non obligare.

Falsa in primis est *laxistarum* assertio, qui ajunt, cum probabilitate quantumvis levi sive intrinseca sive extrinseca contra legis aut praecepti cujusvis existentiam nos ad libitum recte agere posse. Falsa inquam est 1. si agatur de lege *antea existente*, de qua hic et nunc dubitetur utrum *cessaverit:* quia nec levis nec gravis probabilitas sufficit; sed certitudo necessaria est ad legem de sua possessione tollendam. 2. Falsa itidem est, si sermo sit de lege, de qua dubitetur, an unquam extiterit. Qui enim affirmat, *cum probabilitate quantumvis levi* contra legis existentiam, eam licite contemni posse, is obligationes omnes practica ratione certas eludit ac tollit. Etenim aliqua levissima ambigendi ratio, sive ab intrinseco rerum examine, sive ab extrinseca Doctorum auctoritate semper possibilis est: nullum enim ferme reperitur vel flagitiosissimum crimen, quod aliquem pseudo-philosophum aut pseudo-theologum patronum non habuerit. *Nulla foeditas sine amatore, nulla absurditas sine patrono* (Seneca). Itaque sententia hujusmodi habenas libertati nimium relaxat.

Altera *rigoristarum* sententia, specie quidem honesta, sed re vera multo absurdior, multoque est perniciosior, qui absolnte statnunt, *in dubiis tutiorem partem* (scilicet ut ipsi pntant *legem*) *semper eligendam esse.* Etenim, ajunt, legi dubiae obediendo et jura supremi legislatoris, et nostram spiritnalem salutem in tuto ponimus; secus periculo peccandi pereundique nos exponimus. Quibns respondeo, eos *ignorare elenchum.* Quaerimus enim an statui possit criterium et dictamen certnm, quod homo contra legem dubiam agendo non peccet. Jamvero dico, legem de cujus existentia invincibiliter, et satis validis argumentis dubitetur, nullam obligandi vim habere. Id patet 1. ex regnlis juris (192 ec.) quae docent, in hujusmodi dubiis benigniorem interpretationem libertati faventem sequi, non minus aeqnius quam tutius esse. 2. Hujus criterii

ratio est, quia cum libertas ratione ordinis et suppositionis in sua possessione sit ante quamlibet legem; hinc sequitur hominis voluntatem obligari nullo pacto posse, nisi lex certe et adaequate nota ac promulgata sit. 3. Confirmatur ab absurdis. Posita enim rigoristarum sententia, sequeretur hominis obligationes ferme in infinitum multiplicari: hinc moralis impossibilitas omnia officia servandi; ac propterea desperatio, effraenis licentia, religionis contemptus; fructus a Iansenianorum rigorismo heu nimis abunde producti.

De dictamine consequenti et de imputatione.

Iudicium de moralitate actionis cujusdam sive a nobis sive ab aliis peractae generatim appellatur imputatio. Quamquam judicium de nostris actibus dici solet *dictamen conscientiae consequens*, judicium autem de moralitate actionis alienae proprie *imputatio* appellatur. Ut hoc judicium recte instituatur praeter adaequatam legis cognitionem, necesse est facti naturam perspectam habere. Quare sequentes canones prae oculis habendi sunt.

1.° *Actus ex necessitate sive physica sive morali peracti per se non sunt imputabiles.* In his enim non homo, sed natura operatur. Hujus generis sunt actus mere spontanei, vel absque rationis usu, vel ex ignorantia et errore invincibili facti: hinc distinguendum est peccatum *materiale* a *formali.*

2.° *Actus ex necessitate peracti, si praevideantur vel praevideri debeant, tamquam effectus actionis vel omissionis liberae, sunt imputabiles in causa.* Quia libertas in eos *virtualiter* influit.

3.° *Quidquid imminuit vim electivam auferendo spontaneitatem, imminuit peccatum male agentis: quia fragilitas potius, quam malitia in hoc deprehenditur: auget meritum bene agentis ob graviora obstacula, quae in virtutis exercitio ei superanda opponuntur.* Hujusce rei causae sunt coactio, vehementiores animi affectus, et habitus.

4.° *Quo magis directus et immediatus libertatis usus et operantis intentio vel in bonis vel in malis actibus fuerit, eo major censetur boni vel mali meriti imputatio.* In altero enim purus

et vehemens virtutis amor, in altero plena malitia est. Quare distinguenda est *culpa a dolo malo*; illa enim definitur *omissio debitae diligentiae* hic antem *propositum legem violandi, et injuriam alteri inferendi.* Pro diverso autem omissae diligentiae gradu sive maximo, sive medio, sive minimo, diversa e contrario est culpae impntatio, scilicet minima, media et maxima, quae *culpa lata* dicitur et fere dolo comparatur. In dolo autem permultum interest, utrnm repentino motu animi, an consulto et cogitata quis injuria agat.

Tam *forus internus* conscientiae, quam *externus forus* judicialis in imputatione easdem in juris examine regulas et media habent; non ita est in facti examine. Primus enim intrinsecam actionis bonitatem aut malitiam ex immediato conscientiae testimonio perspectam habet. Alter vero extrinseca facti honestate aut turpitudine per testium auctoritatem investigata, et morali quadam certitudine cognita, hinc ex analogia de interna actionis moralitate decernit. Quapropter non raro contingit, ut utriusque tribunalis jndicium de eodem facto contrarium sit, utrumque tamen in suo genere verum et rectum.

III.

De qualificatione et specificatione actionum et habituum moralium.

Quilibet actus libero voluntatis arbitrio peractus, qui *humanus actus* dici solet, morali ordini conformis *moraliter bonus*, seu *bonum morale* appellatur. Qnare inter bona moralia censentur non solum actus illi, qni *sub praecepto* continentnr, qui nempe ad ordinis custodiam necessarii snnt; verum etiam qui sunt *de mero consilio*, seu ad virtutis perfectionem aptiores. *Actus* vero *malus* seu *peccatum* est quicunque actus humanus legi aut praecepto contrarius. « Consilium est, quo si uti no- » lueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetra- » bis ... Praeceptnm est hoc, cui non obedire peccatum est » (August.)

Virtus autem et *vitium* non in actu sed in habitu consistit. Habitus vero non est dispositio aut facultas a natura data ad agendum : quae enim natura fiunt uniformia sunt et determinata ad unum, neque aliter assuescere possunt (ut lapis cum natura deorsum feratur, nunquam sursum ferri assuescet); neqne imputationi subjacent. Atqui juxta diversam agendi rationem sive in artibus, sive in moribus diversimode assuescimus, scilicet dispositionem quandam acquirimus, qua faciliter certum actionum genus usque producimus. Hinc boni a malis magistris distinguuntur, itemque bonae vel malae leges, ac methodi, quae sive in artibus sive in moribus bene aut male assuefaciunt homines. Itaque *habitus* generatim est *permanens animi dispositio, per repetitionem actuum similium acquisita, inclinans hominem ad certum actionum genus faciliter et constanter obeundum.* Consequenter *virtus est habitus disponens et inclinans animum ad actus moraliter bonos discernendos ac factitandos.* Unde Aristoteles ait : *Virtus est quae facit habentem et opus ejus bonum.* Viceversa vitium.

Porro duo virtutum genera ab Aristotele perspecte distinguuntur, aliud *intellectivarum,* quae mentem ad recte honesteque judicandum disponunt; aliud *moralium,* quae voluntatem disponunt et inclinant ad recte honesteque operandum. Moralium autem virtutum norma et dux *Prudentia* est , *ea nempe virtus intellectiva, quae hominis mentem disponit ad actus justos et honestos recte et celeriter discernendos.* Eademque et tempus, et modum , et media ad agendum opportuniora ac necessaria suggerit. Cum autem hominis voluntas aut voluptate, aut dolore a rectae rationis praeceptis facile declinet; hinc ad officia prompte et constanter obeunda morales quoqne virtutes adsciscendae sunt; quarnm aliae contra voluptatum illecebras, aliae contra ea, quae animum dejiciunt, volnntatem muniant. Ad primum genus pertinet *Temperantia* ea nempe *virtus moralis, quae voluntatem disponit ad sensuum voluptates moderandas* : sub qua variae virtutum species continentur, scilicet *abstinentia* , *sobrietas, continentia, castitas* ec.

Alterius generis est *Fortitudo*, seu *virtus moralis, quae voluntatem disponit et inclinat ad rationales labores perferendos*, *et ad justa pericula aggredienda.* Huic autem subjectae sunt patientia, magnanimitas, confidentia, perseverantia. Virtutes hucusque recensitae etiam in vita solitaria homini necessariae forent. Aliae praeterea sunt, quae ad hominum societatem directe spectant; quarum princeps est *Iustitia*, quae moralis virtus voluntatem disponit et inclinat in hominum societatem tuendam, et suum cuique tribuendum, fidemque servandam : quare ab Ulpiano definitur *justitia* : *constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.*

De singulis suo loco singillatim disseremus : hic tantum proprietatem moralibus virtutibus communem et quasi characteristicam cum Aristotele indicabo scilicet *mediocritatem.* Quaevis nempe moralis virtus inter nimium et parum seu inter duo opposita vitia medium tenet. Etenim quidquid augeri et imminui potest, quemadmodum sunt affectus et actiones humanae, necessario duo extrema et medium habent. Quod si omnis ars ad medium spectans, atque ad ipsum sua opera dirigens ita opus bene absolvit, ut de bene absolutis operibus dici consueverit, ut neque demi neque addi quidquam possit; virtus vero moralis omni arte excellentior et melior, procul dubio medii conjectrix et collimatrix esse debet. Unde patet, unam tantum virtutis viam esse ; infinitas autem vitiorum aberrationes : sicut infinitae sunt directiones a scopo divergentes, et aut excedentes aut languidiores telorum impulsus : una tantum, eaque media et optima linea, unus proportionalis teli jactus scopum attingens.



INDEX



TRACTATUS I. GENERALIS

PARS PRIMA

DE LEGIBUS.

SECTIO PRIMA

Systemata philosophica de origine, natura, et principio constitutivo legum moralium.

CAPUT I.

CAPUT II.

SECTIO SECUNDA

Theses de origine, natura, et principio constitutivo legum moralium.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

SECTIO TERTIA

De legum, obligationum et jurium partitione, ac natura.

CAPUT I.

CAPUT II.

APPENDIX

PARS SECUNDA

DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.



NIHIL OBSTAT
Josephus Maria Canonicus Graziosi Censor Theologus.
REIMPRIMATUR
Fr. D. Buttaoni O. P. S. P. A. Mag.
REIMPRIMATUR
Joseph Canali Patriarcha Constantin. Vicesg.